BASIS THEOLOGIÆ REGULARIS

Tomus Secundus.

HOC EST,

BERNARDI DOCTORIS

Melliflui elimatum ad Regulam Benedictinam

SCHOLION,

DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE

Disceptans; fundamentalesque Quæstiones, quæ in Regulari foro ventilantur, solidè & benignè resoluens.

Illustratore Auctore-que

D. D. IOANNE CARAMVEL

Lobkovvitz Misiensi Episcopo, & Mogunt. Suffrag.

Editio Secunda locupletissima, emendatissima.

VENETIIS, M DC LI.

Apud Iuntas, & Ioannem Iacobum Hertz.

CENSVRÆ.

Hoc scholion, pars fundamentalis est Commentarij in Regulam Benedictinam, easdem omnino sententias, quæ ibi traditæ, Mellifluí Doctoris testimonio confirmans, adeoque eisdem priuilegijs fulcitur, & eorumdem Doctorum testimonio & censura approbatur.

CENSVRA.

Hoc Opusculum florido scriptum stylo, intelligendæ Theologiæ regulari eximij D. Ioannis Caramuel Lobkovvitz necessarium, & dignum prælo iudico. Ipris. Pridie Idus Maias 1612.

Antonius Sanderus Canon. Ipr. Schol. & Librorum Censor.

ERuditissimum hunc fauum D. D. Ioan. Caramuel Episcopus Misiensis stillantem labio orthodoxi Calami meros suauesque Doctrinæ Bernardicæ Clarauallensis sensus supra regulam Benedictinam, perlegi, studui, examinaui, & vndique ex eo multa Theologiæ subtilioris Scholasticæ, peruenustè, argutè, & scientificè ad Romani, & Scripturæ Sacræ placiti stylum decentius fluere obseruaui. Quamobrem si ita placuerit Reuer. D.D. P. Inquisitori Sanctæ fidei poterit typis mandari. Ita humiliter testor Venet. 20. Ian. 1651.

Ego Fr. Ludouicus Reydellet. Chris. Reg. à Concil. & Domesticus eleemosyna. Doctor Theolog. ac in vtroque iure: Sanctæ Inquisitionis fidei Consul. q. Tertij Ordinis Sancti Francisci Vic. ac Commissarius Generalis.

Fr. Petrus Marcellinus Folia Sac. Theol. Lector ac Commiss. S. Off. Venet.

INDEX CAPITVM,

D. BERNARDI.

SVBIVNCTARVMQVE RESOLVTIONVM.

Caput

C V M I G I T V R,

In præsenti Scholio omnia, aut ferè, Benedictinæ Regulæ Capita explicentur, proderit sequentem Indicem subiungere, vt vnusquisque facili possit negotio singulorum illustrationem reperire.

INDEX

INDEX CAPITVM,

REGVLÆ S. BENEDICTI, QVÆ IN HOC MELLIFLVI Doctoris Scholio, ab ipſo aut ex ipſo illuſtrantur.

Cap.

EPI-

EPISTOLA PROOEMIALIS AD ABBATES.

Abbates habent graues occupationes domesticas. A. *Occupatissimis viris breuiora placent, imò & prasunt.* A. *De qualitatibus Abbatis generalia dogmata in Regula, sed & ipsa ad doctrinam singularem Mellifluus Praceptor reduxit.* B. *Cum religiosus vota solennia emittit, superior compromittit,* B. *Promissio Religiosi,* C. *Compromissio Abbatis.* D. *Quid sit* coram Deo? *quid* in præsentia Abbatis? E. *Prouocatio ad tribunal diuinum:* F. *Clemens & Philippus (Summus Pontifex ille, hic Galliarum Rex) à Templarijs ad iudicium diuinum appellantur.* G. *Robertus à Bernardo,* H. *Senior etiam communicatis perturbatrix, à sua Antistite,* H. *In illo à tribus annis Abbas quidam ob permissam ebrietatem cecidit,* I. *Syllogismus Bernardi,* K. *Prima clausula Compromissionis Abbatialis exposita,* M. *In necessitate, viri debeat Superior, sibi an subdito, prius & diligentius prouidere?* M. *Exponitur clausula secunda.* N. *Prius petetur ab Abbate an permiserit violari Regulam, quam an seruauerit.* O. *Cur hoc?* P. *Huius doctrina quanta sit certitudo,* Q. *Modus, quem debet in suo regimine ad mentem S. Benedicti, obseruare Superior.* R. *Tenetur praire exemplo,* S. *an grauiter?* T. *Debet etiam aliquando imponere moralia pracepta.* V. *Tertia eiusdem compromissionis clausula,* VV. *De inobedientia tolerata,* VV. *Qua Pralatus teneatur sub mortali pracipere?* X. *An possit permittere superflua?* Y. *an munuscula & colloquia mulierum,* Y. *Pralatus superioribus ita obedire debet, vt ipsi Pralato Religiosi,* Z.

1 VIris negotijs obrutis omnia breuiùs. A quingentis iam annis est scriptus à Bernardo iste liber; & siquidem à multis illectus, interlectus ab alijs, & perlectus à paucis, nunc commentarijs auctus minùs poterit ab vniuersis legi. *Cum breuiter rescribere, decreuissem*, ait Mellifluus Doctor, *& Epistolis Epistolam tantum reddere cœpissem, in libri, vt cernitis, longitudinem protraxi stylum, vt in pluribus plures possint ædificari.* Sed quia iam honorificum est negotijs obrui, temporis laboramus penuria, & nihil minus quærimus quam libros, præcipuè si videantur scripti calamo liberiore. Quoniam hoc hodie morbo laboramus quàm plurimi, *cùm fusius & vberius ego scribere decreuissem, & libro integro Abbatum obligationes edissere cœpissem; in Epistola vt cernitis breuitatem contraxi stylum, vt in paucioribus plures possent ædificari.* Relinquamus

Monachis examinandas obligationes suas, toto hoc Scholio elucidandas aperiamus sincerè oculos & nostras attentè contemplemur.

B. Qualis debeat esse Abbas, suæ Regulæ Capite II. Sanctus Benedictus exposuit, sed omnia sunt nimis generalia, & nos speciali magisterio indigemus ex illa doctrina diducto. Volumus ignorare quæ scimus, ne cogamur agere quæ debemus. Sed Bernardus tam clarè nobis loquitur, vt velimus nolimus, cùm non possimus affectare ignorantiam, debemus errores fateri, & aut aliter agere, aut Superioribus occasionem præbere vt aliter nobiscum agant. Sed dum Ego hæc ipsa; impedimento sum loquuturo Bernardo. Ipse Cap. IX. sic: *Regularis ipsa Professio, qua se Iunior subdit spontè Maiori, æquè adligat & Priorem. communis equidem pacti pari reor vtrumque necessitate teneri, fierique duos per vnius sponsionem alterutrum debitores; fidelis curæ vnum, alterum humilis obedientiæ. Quid nam ergo voluntati relinquitur, vbi & Prælatus debiti necessitate tenetur.* & Cap. IV. *Eadem fortasse fidelitas à subditis nihilominus exigitur in obtemperando, quæ à Præpositis in dispensando.* Legamus, audiamus iterum, secundò & tertiò; verba enim fortia sunt, & in ipsis breuiter plura Prælatis dicta, quàm toto libro Religiosis. Professio pactum est, sed commune; promittenti, acceptanti. infert debiti necessitatem sed parem; hoc est, æquè Prælatos obligantem & subditos, seruata tamen materiæ proportione. Vi professionis Religiosus est obedientiæ humilis debitor; vi acceptationis Abbas curæ & diligentiæ fidelis. Subditus ergo non iurat modò sed & Superiorem adiurat, & ex pacto resultat, vt sicut Subditus tenetur sequi, sic ducere teneatur Antistes; sicut ille obedire, sic & iste præcipere.

C. Professio Religiosi hæc est, *Ego N. promitto stabilitatem meam & conuersionem morum meorum & obedientiam (implicitè, paupertatem, castitatem) secundum Regulam S. Benedicti Abbatis coram Deo & Sanctis eius, quorum reliquiæ hic habentur in hoc loco, qui vocatur N. constructo in honorem Beatissimæ semperque Virginis Mariæ, in præsentia Domini N. Abbatis.* Hæc est, qua se Iunior subdit spontè Maiori. Hæc, quæ Bernardo teste, æquè adligat & Priorem. Hæc, vi cuius Abbas & Subditus pari necessitate tenentur. Ipsa igitur Admiratio, & si liceat sic dicere, Aduotio est, & eius acceptatio est Iuramentum. Votumque ex parte superioris respondens. Et siquidem nunc concipitur, exprimi æquè poterit verbis. Hæc est igitur ad Mellifluí mei Bernardi mentem.

D Compromissio Prælati. *Ego N. promitto me suppeditaturum esse tibi victum amictum & omnia necessaria, vt possis seruare stabilitatem promissam. Me inuigilaturum, facturumque vt conuertas mores tuos, & in ordine ad istum finem adhibiturum omnia media necessaria; consilia, monita, præcepta, nec permissurum, quòd in obedientia, paupertate, aut castitate delinquas, sed cooperaturum vt omnia obserues secundum Regulam S. Benedicti Abbatis. Id igitur promitto coram Deo & Sanctis eius, quorum reliquiæ hic habentur in hoc loco,* &c. *& in præsentia tui ipsius.*

E. Et incipiendo ab vltima clausula; quid est, *In præsentia D. Abbatis*, & *In præsentia tui ipsius?* Haud fallor, aut est citatio ad tribunal diuinum, & protestatio, qua vterque compariturus coram Deo postulat, vt & alter compareat, vt coniudicentur, decidatur-que, An superior, qui debebat conducere exemplo, subditum prostrauerit scandalo; an subditus abusus virtute superioris fuerit.

F. Ad hoc tremendum Dei tribunal, non vnus Prælatum subditus in professione, non solùm & Prælatus Subditum in compromissione; sed etiam vtrumque Sanctus Benedictus appellat, & tam fortibus verbis, vt videatur citiùs

citiùs frangendum cor, quàm ipsa imprimi possint. Sic ait. *Memor sit semper Abbas* (valde sunt seria, quæ numquam possunt à consideratione deesse) *quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ; vtrarumque rerum in tremendo Dei iudicio facienda erit discussio.* nimirùm, coram Deo, de læsa Maiestate inquiretur. in præsentia Beatissimæ semperque Virginis Mariæ, cuius ædes erant, quæ nostris culpis profanatæ. in præsentia Sanctorum, quo reliquiæ sub Altaribus conditæ clamant & dicunt, Vsquequo Domine non vindicas, aut vendicas nos à malemoratorum consortio. in præsentia S. Benedicti, à quo vt legislatore, ipsi vt legi rupiones appellati, comparebunt, Abbas in Subditi præsentia, Subditus in præsentia Abbatis, responsuri cur noluerint pacto solenni respondere.

G. Me miserum, illud *in præsentia, in præsentia* perpetuò in meis auribus tinnit, nec possum non audire etsi velim. Damnauerat Templarios Pontifex & Rex, & vnus ex præcipuis, his aut similibus verbis affatur; *Quando inter mortales nullus mihi iam superest, ad quem appellem, ad iustum Iudicem Christum appello, vt ante eius tribunal in mea præsentia compareatis, vt in vestra causam meam exponam.*

H. Te olim Robertum à defectione miserum, (hodie à pœnitentia fœlicem) alloquor, & interrogo, an non fueris summopere perterritus, cùm doctus es, quid significarint illa verba *coram Deo, & in præsentia Abbatis?* Sed non opus loquaris; terrorem testatur pœnitentia illa tua, qua cum charitatis lucro, iacturas pristinas recuperasti. Cluniacum ieras; & quod intolerabilius, sanctitatis prætextu. & te absente anxius mellifluus Doctor, Dicebat Deo, Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita iudices; hoc est, apud homines iudicari permittas. [multa enim habentur in Pihel, quæ in Hiphil significantiùs exponuntur] Numquid bonum Tibi videtur, si calumnieris & opprimas me (sic irreligiosi oculi iudicant) opus manuum tuarum, & consilium impiorum (Robertum & fautores intelligebat) adiuues? Numquid (vt ipsi putant, & asserunt) oculi carnei Tibi sunt, aut sicut videt homo & tu vides? Scio sanè me Abbatem, me pastorem esse. & scio culpæ pastoris incumbere, quidquid in ouibus Pater familias minus inuenerit; & nihilominus, scis quia nihil impium fecerim, & liber ero cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Liber inquam ero, quia inquieto & inobedienti iuueni pastoris fuit omnis diligentia attributa, & morbidis eius actibus vniuersa fuit cura exhibita. Vnde ego miser pastor, tametsi oleum & operam (verbum Dei & diligentiam) perdidero, in iudicio Domini absolutus (sic spero, sic mihi compromisit Benedictina Regula) dicam cum Propheta. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam illi & salutare tuum dixi. Ipse autem contempsit & spreuit me. Inobedienti igitur meæ oui, coram Te iusto Iudice, pœna sit ei præualens ipsa mors. Quandoquidem frustra consuluerim, monuerim, præceperim, punierim, & iam inter humanas nulla mihi superest diligentia, quam adhibeam, nullus ad quem appellem, Te Roberte, ad iustum Iudicem Christum appello, vt ante eius tribunal in mea præsentia, vt tuæ professionis verba vrgeam, compareas, vt in tua ego causam meam exponam. Sed quia dictas, & fortè tuæ perditioni intentus, nec auscultare vis præcepta Magistri, nec inclinare aurem cordis Tui, & admonitionem pij Patris libenter excipere & efficaciter complere, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. sumo calamum & hanc Epistolam scribo. *Tuum*, inquam, *Domine IESV tribunal appello. Tuo me iudicio seruo; Tibi committo causam meam. Domine Deus Sabaoth, qui iudicas iustè & probas renes*

 & cor-

& corda; cuius oculi sicut fallere nolunt, ita falli non possunt. Itaque arbiter meus Domine IESV, de vultu Tuo iudicium meum prodeat; oculi Tui videant aquitatem, videant & iudicent. Recepit has lineas Robertus, & in magna Epistola quasi solas; & ita turbatus illis fuit, vt maluerit coram Abbate suo in Dei præsentia comparere, quàm coram Deo in præsentia Domini Abbatis. Noluit experiri appellationis vim, satius iudicans in hac vita secundum Regulam Benedictinam in loco Deiparæ Beatissimæ sacro in Abbatis sui præsentia iudicari, quàm secundum eandem Regulam loco æternis cruciatibus designato coram Deo iudice in præsentia Actoris Antistitis adiudicar. Timeant igitur inobedientes Monachi, & Roberti exemplo resipiscant; appellati ad tremendum tribunal, compariturі sunt coram Deo & Sanctis eius, in præsentia prouocantis Abbatis.

H. Timeant Seniores, & quicumque magna fuerint in monasterijs authoritate præditi, ne sint Superiori, ne Subditis impedimento, cùm vel ille vel isti satisfacere volunt litteræ, iuxta quam viuere professi sunt. Ante annos decem consultus fuit à meo Bernardo Campmans nomine Dominæ N. Abbatissæ Ordinis Cistertiensis, quæ angebatur scrupulis propter festinam mortem cuiuspiam inueteratæ fœminæ, quæ illi ab initio sui regiminis fuerat à turbationibus. Volebat multa ad Regulæ rigorem reducere deuota Antistes, nec auersantibus Monialium animis, si ista Senior abfuisset. quæ sua authoritate & impulsu vniuersas contra Abbatissam & reformationem irritabat. Laborat, ad laborat hæc, nec proficit. Clamat ad Deum, Sanctos inuocat, & semel quasi despondens animo & malitiæ se opponēti subcumbens chorum init, venerabile Eucharistiæ Sacramentum adloquitur, & ait, Iam inter mortales nullus superest mihi, ad quem prouocem. Generis & ætatis authoritas causam Tuam, Animas tuas conturbat. Ad tribunal igitur tuum appello, ad tuam omnipotentiam confugio. carebo enim potestate vt meas secundum Regulam Benedictinam dirigam, tribunali vt negligentias suas secundum eamdem iudicem, quamdiu ista Seniore non caruero. Compareat ergo coram Te, siquidem coram Te promissa nec obseruare vult, nec à nobis obseruari permittit. Sibi ipsi Sancta Antistes diuinitùs audiri visa, magno suffusa solatio habita oratione recessit. Ad vesperas non venit illa Senior, nec hoc examinat Antistes, adsueta maiora tolerare. Absentiæ causa sub solis occasum morbus dicitur, qui festinus & vehemens illa nocte periculosus fuit, & sequenti mortalis. Senior iuit ad tremendum tribunal Dei. munita quidem sacramentis & bene disposita, vt creditur; sed iuit; & tot scrupulis plena mansit Antistes, vt indiguerit consultatione aliqua ne careret solamine. & quidem sublata illa remota progressa abusus omnes summa cum facilitate & fęlicitate reformauit. Viuit adhuc, nec ipsi prodesse poterit, si hic nomen habeat.

I. Vidimus formulam Professionis esse appellationem valde seriam, & vi illius iuniorem seniorem ad tremendum tribunal prouocatos: aliquod de Abbatibus addamus. Referam, quæ D. Bernardo, Botyn, mihi & nonnullis alijs ante annos tres confidenter & sincerè sunt dicta; referam, inquam, si horror aut linguam aut calamum mouere permittit. In Monasterio N. (nomen ne exprimam impediunt lachrymæ) mortui Abbatis cadauer, vt moris bene ornatum, ad capitulum in feretro confertur, vt inde ad Ecclesiam & chorum. Erant ibi, qui psalterium iuxta pium ordinis ritum legerent, qui vestes decentius componerent, rosis ornarent. Cadauer que in illorum iuniorum præsentia, qui vota in eius præsentia emiserunt, horribili vlulans voce, *Vt quid hac omnia,* inquit,

Siqui-

siquidem Ego sum octauus-decimus huius loci Abbas, qui ardeo in inferno. Tanto omnes percelluntur horrore, vt nec animum adhærendum, nec vires ad fugiendum haberent. Tandem cadauer sine pompa sepeliunt, & quia vitandum erat scandalum pompam funeream pro purgatorij animabus absoluunt. Examinaui postea, qui ille miser Dominus vixerit aut deuixerit; & audiui fuisse commessationum amasium, ebrietatemque exemplo & indulgentia in suo monasterio promouisse. cæteroqui fuisse in bona opinione.

K. Scio hæc posse à Theologis carpi, quòd minùs videantur scholastica, nec rigorem syllogismorum & rationum sapiant, quem stylus dialecticus desideraret. historica enim potiùs creduntur, quàm probantur. Respondeo tamen non haberi disputationes in scholæ vestibulis, & hunc librum tametsi totus Scholasticus sit, habere sua vestibula (hoc est, prologos) in quibus sine disputationum & rationum probandarum strepitu interloqui possit sinceritas. Quod si nil dicatur placere, quod sit præter formam Dialecticam, vtar syllogismo illi simili, quo olim Bernardus in Parisiensibus Scholis. Arguo sic. *Si fugere gehenna pœnas, & ad vitam volumus peruenire perpetuam currendum & agendum est modò quod in perpetuum nobis expediat. Atqui sumus negligentes, nec secundum Regulam viuimus, nec secundum illam imperamus: ergo nec gehenna pœnas fugere, nec ad vitam volumus perpetuam peruenire.*

L. Sed quid facturi sumus, ne causa nostra cadat, vbi strepitus causarum cessat? Quid, ne cadamus, vbi Vix iustus stat? Quid, ne addamus numerum damnatis, qui quamdiu Deus fuerit iustus, tamdiu igne comburendi sunt? Verbo dicam; sicut priuatus Religiosus tenetur Promissioni suæ satisfacere, sic etiam Abbas compromissioni. Cuius clausula

M. Prima. *Ego N. promitto me suppeditaturum esse Tibi victum, amictum, & omnia necessaria, vt possis Seruare stabilitatem promissam.* Hic, hic, multa breuiter sunt ponderanda. Nobis nec victum nec amictum promisimus, & nos tuta conscientia possumus macerare ieiunijs, & vestibus speciosis priuare; nostris enim corporibus, si præcisè necessaria dederimus, amici erimus non iniurij. At Subditis strictiùs tenemur; debitores sumus fidelis curæ, (placent verba Bernardi) vt habeant vestes & cibos secundum Regulam. vnde si contingat alterum commoditate cariturum, vt illa fruatur subditus, debebit Prælatus carere. Sanè dum hæc scribo Tui memini amicorum optimè, quem vidi in Scamno dormientem ne deesset lectus subdito, quòd vi Regulæ illum dare, non tamen habere deberes. Et ob eamdem rationem tuo, vt vidi, in itinere socio, qui suam amiserat, cessisti manicam, quòd in Regula illam debere Religioso concedi; non tamen, etiam si frigus vrserit, haberi debere ab Abbate legatur. Minuta hæc, sed manifesta indicia magni animi, nolentis ne in paruis quidem à Regulæ præscripto deficere. Hominem cognoscitis, qui hæc legitis. imitaminor omnes, ne si legerit, sese cognoscat; nemo enim in his notare potest, quæ vniuersis communia.

N. Secunda. *Promitto me inuigilaturum, facturumque, vt conuertas mores tuos; & in ordine ad istum finem adhibiturum omnia media necessaria; consilia, monita, præcepta.* Tam strictè igitur tenemur præcipere, quàm subditi obedire & subesse; *Communis equidem pacti*, ait Bernardus, *pari reor vtrumque necessitate teneri.*

O. Sciamus igitur, quòd suscepimus regendas animas; præparemus nos rationem reddituri. Et quantum sub cura nostra fratrum nos habere sciuerimus numerum, agnoscamus pro certo quia in die Iudicij ipsarum omnium animarum sumus reddituri Deo rationem;

hoc

hoc quidem sine dubio; addita & nostræ animæ. Verba sunt expressa nostri Legislatoris, quæ quia suppono sciri memoriter, sæpè non citò, sed adsumo. Doceri tamen vellem: Quid ratio sine dubio sit? Et cur ratio animæ nostræ addenda rationi animarum ouium subditarum dicatur? Annon charitas incipit à se ipsa? an non suæ conscientiæ potiùs Abbas, quàm alienæ prouidere tenetur? Si hoc verum, Deo tenebuntur reddere Antistites rationem villicationis suæ, & posteà villicationum subditorum. erravit igitur S. Benedictus, cùm suorum priùs & sui posteriùs redditum iri rationem pronunciauit.

P. Sed hoc vltimum iam benè intelligo; imò etiam illud priùs. Strictiùs tenemur, cùm voto. ideòque Strictiùs Monacho fornicatio interdicitur quàm homicidium, tametsi hoc illa grauius secundum se consideratum sit; hoc enim quinta lege Decalogi, at illa tum lege, tum voto, imò fortè etiam & iuramento causa. Sanè Monachi non promisere Deo obseruantiam Regulæ, sed obedientiam secundum Regulam. at Superior promisit se iussurum, imò quantum in se fuerit præstiturum, vt obseruent Regulam. Strictiùs igitur ad præcipiendum ille Regulam, quàm illi ad Regulæ obediendum, tenetur. quod si Strictiùs, die illa, die iræ calamitatis & miseriæ; die magna, non tempore sed amaritudine, quando cœli axes mouendi, concutienda elementa, exhibituraque supremi terroris indicia; tunc igitur quando discussio venerit atque ventura ira, priùs examinandum an iuxta Regulam iusserimus, & posterius an vixerimus secundum illam: vtrumque tamen, & quidem vtrumque sine dubio.

Q. Sine dubio, inquam (& hic primæ quæstioni satisfacio) nemo enim catholicus in dubium potest vertere subeundi diuini iudicij horribilem necessitatem; nemo æquitatem pronuntiandæ sententiæ, quam nec flectere poterit causarum interpositarum strepitus, cachinnorum intempestus applausus, Iurisperitorum varietas, codicum, tabularum, obtortarumque legum garrulitas; nec remittere fauor, aurum, preces, lachrymæ, nec sera pœnitentia annullare. Semper igitur timentes futuram discussionem, dum curam gerimus de alienis ratiocinijs, de nostris reddamur solliciti. Et dum admonitionibus nostris emendationem creditis ouibus subministramus, ipsi etiam à vitijs emendemur.

R. Iam video. Hæremus & horremus. (cæteros mihi similes indico; quòd si aliquis vltimi iudicij meminerit, & non horruerit, est nimis durus) satisfacere volumus, & quid facere debeamus inquiremus. Sed iam olim nos in hac materia noster Legislator instruxit.

Ferenda est Regula per modum consilij, puris verbis opportunè & importunè sunt Religiosi hortandi, & si, quod humanum est, aliquis ex fragilitate delinquat, corripiendus est verbis, frequenter, & pro qualibet culpa. Si videatur hæc correptio insufficiens ritu monastico excommunicari à mensa à colloquio à recreatione poterit. Quod si frequenter correptus pro qualibet culpa, aut etiam regulariter excommunicatus non emendauerit, acrior adhuc adhibeatur correctio. in eum verbo verbere armato procedatur. Quod si nec ita correxerit, sed fortè, quod absit, in superbiam Elatus etiam defendere voluerit opera sua, de industria humana desperetur, & ad Dei tribunal recurratur. Suam & omnium pro eo fratrum orationem prouidus Antistes adhibeat; vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit? Iam tunc Abbas ad extremas angustias irreligiosa subditi contumacia reductus, vtatur abcisionis remedio & subscribens Apostoli consilio, ne tota in tentationem hoc scandalo inducatur communitas, illum ab Ordine expellendo liberet vniuersos à malo.

S. Om-

5. Omnia & singula, quæ facere tenetur Antistes, D. Benedictus (cap.28.) expressit, & ego ex ipso: Superest vt singula enucleatiùs.

Primò igitur proponendam Regulam dixi, consulendam, suadendam. Et infero peccaturum Abbatem, qui dissuaderet, dehortaretur, & auerteret suos à conuersatione regulari. Cùm igitur vita loquatur & persona, frustra in capitulo clamat Antistes, cuius vita vniuersa recantat. Prior à nostro Legislatore frequentissimè dicitur, quod in actibus Cōmunitatis prior esse debeat. Prælatus, quòd quando omnes ad chorum impetu deuotionis feruntur, ipse debeat præferri. Antistes, quòd in omnibus actibus Communicatis ante stat. Oportet igitur, ita conuersetur Superior, vt singulæ eius actiones linguæ sint, quæ subditis Regulæ obseruantiam suadeant, & negligentias reprehendant.

Regis ad exemplum totus componitur orbis, quidam olim Ethnicus, nec tamen ethnicè; & Eccho vocis in nostris claustris fractæ, sic repetit.

Præsulis exemplo totus componitur Ordo. exemplo, inquam, non lingua. Hæc enim, Si careat illo, Suada caret. *Cùm aliquis suscipit nomen Abbatis*, inquit Legislator ipsissimus [cap.2.] *duplici debet doctrina suis præesse discipulis; id est* (debet) *omnia bona & sancta factis amplius, quàm verbis ostendere*. Noto bene. Non ait quòd duplici poterit præesse doctrina; sed quòd debet; & exempli doctrina principaliùs, quàm verbi.

I. An fortè præire exemplo merè ipse pœnaliter, aut fortè venialiter tenetur? Cohibet assensum, qui dixit. *Omnia, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda*. Cur tamen? *Ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur. Nequando illi dicat Deus peccanti* (hoc est, non præeunti exemplo) *Quare tu enarras iustitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum.. Tu verò odisti disciplinam & proiecisti sermones meos post te*) proijcit post se, qui vt tranquillè quiescat, alijs totum onus imponit) *qui in fratris tui oculo festucam* (leue est subditum actum non præceptum omittere) *videbas, in tuo trabem* (graue est non indicere Regulam) *non vidisti*. Merè igitur pœnalis aut fortè venialis & festucæ similis culpa est ad mentem D. Benedicti subditum non obedire Regulæ ante morale Superioris præceptum. at Superiorem non adhibere omnia media necessaria, vt subditi admonitionem Patris libenter excipiant & efficaciter compleant, mortalis; tanta vt comparari trabi, & possit reprobum hominem reddere, ergo quando est necessarium, ne alij à choro aut alijs communitatis actibus se esse immunes præsumant, vt intersit superior, tunc tenebitur sub peccato mortali. Qui casus tametsi in bene reformatis monasterijs rarus sit, est frequens in multis deformatis, in quibus frustrà adlaborabitur restituendo rigori, quamdiu manserit superior relaxatus.

V. Secundò corripiendos verbis diximus delinquentes; vbi enim hæc creduntur sufficere, frustrà ad rigidiora recurritur. Subiunximus excommunicationem regularem, eiusque inefficaciam verberibus esse curandam. Et tandem, si inter mortales diligentias nulla superfit, ad quam prudenter appelletur, ad Orationem recurrendum, ad Christum iustum Iudicem appellandum. Qui iussus coram hominibus contumax est, iubendus coram Deo, in conscientia ligandus, morali præcepto obstringendus. Implorandus etiam ipse Deus, ad quem fit prouocatio, vt fauere dignetur, & morbum auferat; quod si appellatus etiam Deo resistat, auferendus est æger. ipse enim malus est, & auferre malum iubemur ab Apostolo, ne vna ouis morbida omnem gregē inficiat & contaminet.

VI. Tertia Abbatialis Compromissionis clausula erat, *Promitto me non permissurum quòd in obedientia, paupertate,*

tate aut castitate delinquas, sed cooperaturum vt omnia obseruet secundum Regulam S. Benedicti Abbatis. Et quidem multis modis possumus contra istam promissionem peccare.

Primò enim in inobedientia sua fouetur Subditus, cùm impunè permittitur, aut contemnere æqualem, aut se æquare præposito. Cùm ipsi non-rationabilis venia conceditur, aut dispensatio sine causa. Quoniam tametsi subditus non peccet vtendo dispensatione concessa, non enim tenetur obedire antequam præcepto obstringatur; superior, qui curæ diligentis est debitor, sine causa legitima concedere dispensationem non potest.

Sed hic confundor tenebris. Essemne mortiferi peccati reus, si aut comedendi carnes ab Ordine interdictas religioso sine causa concederem, aut ex choro dimitterem? Nescio. Sed hunc actum contra votum militaturum scio, & vtrùm materia sit grauis ignoro. Scio (*nu.* 341. & 348.) Subditum *non promittere se in nullo Regulæ articulo transgressurum hoc est iam non peccaturum, sed se in omnibus rebus grauibus obediturum esse absolutè, & in leuibus aut obediturum, aut saltem regularem acceptaturum pœnitentiam*. Scio igitur Antistitem *non compromittere se in nullo Regulæ articulo transgressionem toleraturum, hoc est, nihil suauitati & fragilitati indulturum. Sed se in omnibus rebus grauibus impediturum absolutè Regulæ violationem; & in leuibus aut impediturum violationem, aut commutaturum in aliam similem pœnalitatem*. Infero Abbatem posse obseruantias leues sine causa commutare, ex leui dispensare. res autem graues non posse sine causa commutare, bene tamen ex leui commutare, & dispensare ex graui.

x. Sed adhuc Ego in meis tenebris maneo. Quis me docebit magnam materiam internoscere? Sic igitur Ego discurro: Puto se habere superiorem circa Communitatis aut etiam particularis actus, sicut voluntas hominis liberi circà eiusdem actiones; vnde sicut hæc dicitur delinquere quotiescumque in priuatis actionibus delinquitur, sic dicitur peccare Prælatus, quotiescumque non inuigilat aut Subdito aut Communitati. Peccabit igitur mortaliter quando est in causa quod Communitas in graui materia a Regulæ norma deficiat. venialiter si materia sit leuis. Et quidem Communitatem irreligiosam iudico, si peccata mortalia, quæcumque illa sint, permittantur; grauiter relaxatam, si ieiunia regularia non seruet, si manuum laborem non habeat, si chorum non frequentet; & tandem relaxatam leuiter, si in modo tantùm illęsa substantia à Regulæ præscripto sine causa aut legitima dispensatione recedat. Peccabit etiam mortaliter, Superior, si in causa sit, quòd Subditus grauiter relaxatus sit. Cùm autem dici non possit grauiter relaxatus, qui frequentissimè petit licentiam, modò paratus sit obedire si post petitionem negetur; qui huiusmodi licentias concedit, leuis relaxationis causa est, & reus culpæ venialis; & tunc solùm mortiferæ, cùm peccatum mortale tolerat, aut remedia quibus impediri illud possit, omittit. Sed petis, An esset peccatum mortiferum vel vna sola die dare carnes à Regula interdictas toti Communitati? Sanè, si nulla subesset causa grauis, dare illas non auderem, & in mea sententia confirmor, quòd viderim semel vnum Antistitem, de monasterio suo bene meritum, à dignitate suspendi, quòd die S. Bernardi (in feriam quartam inciderat) ratione hospitum (vltra centum solent comedere in refectorio in primo & secundo conuentu) ne nimium sumptus crescerent (pisces raros & caro pretio habet Hispania) dederat toti Conuentui carnes.

Y. Secundò tametsi proprietarius non sit qui superflua habet de licentia Prælati, non tamen Regulæ rigori respondet, & peccat venialiter Prælatus qui

qui in causa. Quod si illa superflua essent mortalis alicuius origo, deberent tolli omnino, & hoc sub peccato mortali.

Tertiò munuscula & colloquia mulierum etiam vbi nullum est grauiter peccandi periculum, ob multas rationes Antistes proscribere debebit; plus enim vna pulchra adolescens turbare solet duobus verbis, quàm repetitæ dæmonum suggestiones anno integro, adeo-que qualiumcumque mulierum, si nimia concedatur familiaritas, irregularis erit, nec vnquam immunis Antistes ab aliquo leui peccato. imò nec à graui, si eius incuria Subditus periculo grauiter peccandi exponatur.

2. Quorsum omnia ista tendunt? Cur interpello homines occupatos? Hęc omnia scitis, adeo-que memoria non instruitur, sed refricatur. Hoc est onus Abbatum subditorum respectu, quoniam respectu Superiorum (Visitatorum, Prouincialium, Generalium) ipsi sunt subditi, præceptis-que regulariter obstringi possunt. Si nimium videatur, poterit non acceptari oblatum, aut semel acceptatum deponi. nam succumbere inconsultum est. Viuamus igitur tamquam cras morituri, gubernemus, vt in tremendo Dei iudicio, sit nobis laudi quòd communis Regulæ conuersationem intenderimus, & gloriæ, quod rationabiliter nonnunquam remiserimus confratrum necessitatibus condescendentes iuxta Regulam. Hęc facite, & æternum valete.

A theologo.

ATribus annis prodij timidus & imperterritus. Imperterritus, quia legendus à doctis, & quia ab indoctis interlegendus, timidus. Vel quis non timeat homuncionem indoctum, maximè maleuolentia & temeritate præuentum. Hæc est nostræ ætatis miseria. Vt dextera à sinistra distinguatur non est opus doctrina, & qui huic iudicio rectè instituendo non sufficiunt, iudicaturiunt Varquezios, Suarezios, Lorcas, Leones, Sancios, Sanchezios, Dianas, & Caramueles. Audiunt nomen Hominis, quem non amant (odio habent vniuersos Doctores) & rumpuntur inuidia; quòd ille nomen habeat, videntur-que illi non plausum solùm, sed & baptismum inuidere. Legunt titulum libri, & videntur iam habere licentiam murmurandi. Nihil in libro placet, inquiunt, & verè, quoniam litteræ in ipso, & hæ non placent. Iam condemnant quæ non legerunt, iam quæ inter legerunt proscindunt. nec raro crudelitati atheam temeritatem adiungentes, quia ne legere quidem sine erroribus possunt, fingunt quæ damnent, imò quæ non damnari nequeant, & huiuscemodi opinionum monstra pientissimis viris adfingunt. Te lector iterum, si ab huiuscemodi laruis subortis, adloquor. Nec à Te ignoror, nec ignoro. Scio inuidos esse animantes alogas, figura humana prędita, defectum ingenij & doctrinę mera temeritate supplente. Olim, vt memini, sic Tibi.

Nil opus est bello. pacem iam, Indocte, rogamus
Porrigimus iunctas ad tua lora manus.
Iura cadant rerum. vertatur sanctio. virtus
Dicatur vitium, nox tenebrosa dies.
Te penes arbitrium prostet. modò amica malignus
Nec verba excipias, nec mea scripta legas,

Eadem

Eadem nunc iterum. Et quia bona indiges voluntate, oro Deum, vt tantam tibi indulgeat animi tranquillitatem, quantam habeo, etiam dum à tua crudelitate proscindor.

ANAGRAMMA.

CARAMVEL.

MEL, A, CVRA.

EPIGRAMMA.

Dat natura rosas, non mel; sed cura perita
Eligit ex pictis dulcia mella rosis.

Diuino ingenio indiderit Natura perennes
Larga rosas, sed mel nobile cura dedit.

Ergo Natura Tu Tempe florida debes,
Debemus curæ mella benigna Tuæ.

D. FRANCISCVS PENNEMAN.

BERNARDI DOCTORIS MELLIFLVI TRACTATVS DE PRÆCEPTO ET DISPENSATIONE.

D. ABBATI COLVMBENSI Fr. Bernardus Abbas dictus de Clarauallе, Valere in Domino semper.

R*Escriptum* A *meum ad epistolas Carnotensium* B *Monachorum vobis primùm, vt promiseram, destinare curaui; vbi & aliud quoque impletum est, quod iussistis. Nam cùm breuiter* A *rescribere decreuissem, & epistolis epistolam tantùm reddere cepissem; hortatu vestro in libri, vt cernitis, longitudinem protraxi stylum, & vt in pluribus plures possint ædificari. Quod opus cum à vobis perlectum fuerit, tunc non ipsis, ad* C *quos factum est, sed eorum priùs reddatur Abbati, & sic demum, si ipse iusserit Abbas, ad ipsos perueniat; Monachi quippe sunt, & ex lege suæ Regulæ,* [cap. 54.] *sine* D *nutu Abbatis, sicut dare; ita & accipere datas prohibentur epistolas. Nam & ob hoc maximè diu, sicut scitis, multùm licet rogatus ab eis, respondere tardaui, quod vt mihi videbatur, ignorante Abbate scribere illas epistolas, & mittere præsumpsissent. Nec falsò id suspicatus sum, vti postmodum liquidò comperi. Ego capto operi, quod quidem legentibus apparebit,* Epistolæ *nomen indideram; sed quoniam pro nomine modum, vestro obuiante mandato, vt promiseram, non seruaui,* Liber, *si iudicatis, non* Epistola *censeatur. Et quia inter multas quæstiones, quæ ibi à me soluuntur, id præcipuè, subtiliùs, vtiliùsque pertractatur, Quænam liceat præcepta, & per quos, & quatenus dispensari? detur ei titulus* De præcepto, & dispensatione, *nisi vobis aliud fortè congruentius videatur.*

A Rescriptum] dicuntur Iurisconsulti respondere & rescribere: differt tamen à responsione rescriptum, quòd illa verbo vel stylo fiat, hoc autem calamo. Videtur etiam *responsionis* nomine qualiscumque resolutio intelligi, at *rescripti* illa solùm, quæ certa, contra quam nil opponere liceat: Vlpianus l. 1. ff. de Appellationibus, *Quæsitum est, an aduersus rescriptum Principis prouocari possit.* id est, Tanta cura & studio exarantur rescripta Principum, vt intra summæ certitudinis terminos credita vix impugnationem patiantur. Bernardus igitur Moralium Theologorum Princeps consultus iuris Benedictini non tam respondet quàm rescribit, & hoc ita apposité & claré, vt aduersus rescriptum eius prouocari non possit.

B Dunensia manuscripta, *ad Epistolas Carnotensium quorumdam Monachorum.*

C Ad quos factum est.] Multæ, eæque diuersissimæ sunt significationes verbi *Facio*, raró tamen legitur cum præpositione *Ad*. Omissis alijs quas expendunt curiosi, sæpè sumitur pro *Scribere, Componere*; Donatus in Terentium, *Facit, qui materiam componit; vt Menander.* Hinc *Facere cum aliquo* est consentire, *Facere ad aliquem* est adsentire, conuenire, concordare, adridere. Primum constat ex Ouidio,

Vt fatear, mecum solà Corinna facit; Horatio,

Et sapit, & mecum facit, & Ioue iudicat æquo;

Secundum ex Martiali.

Non facit ad sæuos ceruix nisi prima Leones.

Hinc periodo illi lux; *Opus*, ait Bernardus, *cùm à vobis per lectum fuerit, tunc non ipsis Carnotensibus, quibus conuenit & adridet, quorum petione scriptum est, sed eorum prius reddatur Abbati.*

B. Sine nutu, hoc est, sine licentia saltem tacita. Voluntatem verbo exprimimus, nutu insinuamus; & nomine *nutus* intelligimus extrinsecam quamcumque actionem, ex qua prudenter possit voluntatis decretum inuestigari. Nota igitur ad mentem nostri Authoris non semper licentiam expressam requiri, sed sufficere nonnumquam tacitam.

De Columbensi & Carnotensi Abbatibus & Monasterijs.

3 Epistola hæc inscribitur, Domino Abbati Columbensi; cuius nomen supprimitur. Optimum fuisse D. Bernardi amicum constat claré ex contextu; sed quisnam ipse apud Authores non reperio. Fuit eius Monasterium erectum anno 1137. vt in Indice chronologico, qui Cistertij in Capitulo Generali exponitur, legitur. Editus est à nostro D. Gaspare Iongelino Disembergensi tunc, iam Eusserschalensi Antistite sub finem Notitiæ Abbatiarum Ordinis Cistertiensis per vniuersum orbem, Coloniæ Agrippinæ apud I. Henningium ann. M. DC. XL. vbi reperies hanc periodum; *Anno 1137. Columba [de Columbis.] Bituricensis diœcesis, in Gallia, ex linea Cisterty.* Sed & ipse D. Gaspar Iongelinus in Abbatijs Regni Galliæ pag. 53. *Columba [de Columbis] in Diœcesi Bituricensi; alijs tamen in Diœcesi Lemouicensi.* Columba

monasterium alij fundatum volunt anno 1137. *alij tamen probabilius anno* 1139. *Nonas Maij, vt omnes Catalogi Monasteriorum affirmant. Huius Cœnobij Abbas D. Ioannes de Timar anno Domini* 1344. *à Philippo Augusto Galliæ Rege in Hispaniam missus est, vt eius nomine cum Castellæ Rege nouum amicitiæ pacisque fœdus iniret.*

3 Monachorum Carnotensium & Abbatis Carnotensis in eadem illud Epistola fit mentio, & ad S. Benedicti ordinem pertinere certissimum est; non tamen eos auderem Cistertiensibus adnumerare, quia in monasteriorum nostrorum indice non reperitur. Sub idem tempus Stephanum Abbatem D. Ioannis Carnotensis, quem honorauit S. Doctor multis epistolis; item Gaufridum Carnotensem Episcopum ex ordine Cistertiensi assumptum, collegam & socium nostri Mellifiui Præceptoris reperio. Eius virtutes commendat S. Petrus Mauritius libr. 4. Epistola 49. eidem Prælato inscripta, quam subijciam vt meliùs Lector possit cognoscere qnanti ipse à viris Sanctissimis fieret. *Honorabili & magno Sacerdoti Dei, nobisque valde charissimo, Gaufredo, Carnotensis Ecclesiæ famoso Episcopo &c. S. P. Semper in vobis Deum reueritus sum, quia eum semper in vobis colui quia præ inhabitante habitaculum adamaui. Cum enim omnibus penè Latinis Episcopis aliqua necessitudine aliqua de causa plus minusve districtus tenear, vobis tamen, licèt fortè hoc ignoratis, singularem iam ab antiquo inter plura cordis mei receptacula mansionem paraui, & adhuc conseruo. Hoc ideò vt dixi, quia verum atque sincerum vos semper diuinarum rerum cultorem expertus sum. Quando enim labores, vestros, quando cursus, quando recursus pro Ecclesia Dei sponsa Christi enumerare potero? Quando religionis amorem & eius exquisitum vbique augmentum enarrare valebo? Quando & ipsas sacrorum locorum frequentes visitationes describere prævalebo? Sed hæc, mi Charissime, supprimenda sunt, neque in illis maximè plus iusto stylum effluere decet: credo enim, & etiam noui, non præstolari vos de pijs operibus vestris mortalium fauorem, sed æternam mercedem.*

Eius specialiùs paupertatem commendat Doctor Mellifluus libr. 4. de Consideratione ad Eugenium Pontificem Maximum, vbi recenset nonnullas, easque minutissimas aliquarum actionum circumstantias. *Sed ô mihi locum suauem,* ait, *vbi incidit occasio memorandi & nominandi suauissimi odoris virum. Episcopum loquor Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ proprijs sumptibus administrauit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa cùm à quodam Presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgò vocant Sturionem. Percunctatus Legatus quantò venierit, Non accipio, inquit, nisi receperis pretium; & resignauit solidos quinque inuito & verecundo. Item cùm essemus in quodam oppido, Domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen; quas aliquamdiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudauit eas, sed non adquieuit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas recusarit? Non fuerunt, qui possent dicere, Ditauimus Abraham. Ipse verò cum Samuele liberè concionabatur ad omnes, Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi; & contemnam illud hodie, vobisque restituam.* Talis ac tantus Dominus Carnotensis opinione Bernardi; cum semper impendit, eo fuit vsus in negotijs grauissimis, quæ expediuit pro Catholica Ecclesia. Cur dicendus fit potiùs Bernardus Gaufrido vsus, quàm Gaufridus Bernardo, non adsequeris; sed respondebo præmittens verba Bernardi Antisti-

tis Bonæuallensis in vita Mellislui Doctoris; *Abbas igitur*, ait loquens de Doctore Mellifluo, *prædictis viris* (nimirum, Guidoni Pisano & Matthæo Albanensi Episcopis, S. R. E. Cardinalibus) *quos à Domino Papa collegas acceperat, addidit consortio & communi consilio virum venerabilem Gaufridum Carnotensem Episcopum, cuius innocentiam & sinceritatem in multis probauerat; & visum est Cardinalibus bonum, vt tanto adiutore negotium tanti ponderis fulciretur*. Bernardus igitur Gaufridum impendit, non Gaufridus Bernardum. Vide Cæsarem Baronium in Annalibus Ecclesi. tom. 12. Nicolaum Clareuallis in Epistolis, Petrum Venerabilem libro 4. Epist. 43. Bernardum Bonæuallensem vbi supra, Matthæum Vindocinensem, qui sic ipsum affatur,

Maximè Pontificum Romana Signifer aula,
Carnotensis apex & Pater vrbis, aue.

Opinantur nonnulli hunc eundem fuisse Abbatem illorum Carnotensium, à quibus noster Doctor consulitur. Sed qui Episcopus simul & Abbas? An Abbatia in Episcopatum erecta? An Episcopatus ad Abbatiam reductus? Id alij examinent, quibus plus temporis suppetat, & maior veterum Manuscriptorum copia; libri enim impressi quos legi, non suppeditant maiorem notitiam.

De Consultationum secreto.

REscriptum meum, inquit D. Bernardus, *ad Epistolas duorum Carnotensium Monachorum Vobis primum (vt promiseram) destinare curaui*. Legis, & desideras nosse; An illæsis vrbanitatis, intemerandis legibus, possit quis epistolas ab amicis receptas & earumdem responsiones alijs communicare?

4 Respondeo, Argumentum Epistolarum esse varium, posse tamen à nobis commodè bipertiri. nam vel ex epistolis illis innotescere poterit aliquid, quod in proximi redundet damnum, vel non. Si Epistola fuerit prioris ordinis, nemini communicari potest; poterit, si secundi. Crudelis est, qui secreta commissa profanat; profanat qui reuelat; quia secreta sunt priuatim sacrata. Cùm amicum consulis, non honoris tui dominum reddis, sed protectorem; debet tuas miserias silentio æterno tegere, te consilio salutari protegere, nec poterit sine tua licentia litteras tuas alijs communicare directè aut indirectè. hoc est, nec poterit tuarum literarum, aut responsionis suæ copias euulgare. Cæterùm, si nihil tua contineat Epistola, cuius euulgatio tibi aut alteri nocere possit, liberè poterit alijs communicare: imò, nonnumquam expedit huiusmodi scripta non solùm priuatim distribuere, sed & typis mandare; nam talia nonnumquam ipsa sunt, quæ offutura nemini, multis prodesse possint. In operibus Ludouici Granatensis, quem Ciceronem Hispanum ob styli puritatem dicimus, Pontificis literæ vulgò leguntur, & quidem vtiliter; instruuntur enim virtutis studiosi Summi Pontificis exemplo, & incipiunt magni facere scripta, quæ vident Ecclesiæ Magistrum magni facere. Philippi II. Hispaniarum Monarchæ literas ad se missas Christophorus Plantinus in Bibliorum editione euulgauit; conducebat enim ad authoritatem ipsius Regis, quòd eius pietas omnibus innotesceret; ad honorem Typographi, vt nemo nesciret fuisse talem, qui potuerit Epistolas recipere à Monarchis. In tabulis Chronographicis Patris Gaulteri Epistolam Henrici Regis Christianissimi legimus, in eaque perspicimus Animi Magni characterem. in ea docentur Principes quanti debeant homines illos facere, qui sese publico bono consecrarunt.

Consultus igitur D. Bernardus à Carnoten-

notensis Cœnobij Religiosis de obligationibus Monasticis, potuit liberè eorumdem Epistolas Columbensi Antistiti communicare, vt illorum pietatem, sanctè viuendi desiderium, & doctrinæ sanctam ambitionem Abbas ille cognosceret; potuit & responsionem, vt ille instructior alijs etiam prodesset. Hac quidem intentione sole amicorum literas communes fieri, constat ex supradictis; hanc habuisse Bernardum, ex periodo sequenti. *Impletum est*, inquit, *quod iussistis; nam cùm breuiter scribere decreuissem, & Epistolis Epistolam reddere cœpissem hortatu vestro libri, vt cernitis, longitudinem protraxi stylum, vt in pluribus plures possint ædificari*. Ergo Columbensis Domini hortatus, nec non harum literarum protractio & communicatio in multorum ædificationem collimabat. Ex hac doctrina, exemplis insignium Virorum illustrata, inferam aliquas Morales Ecthefes, vt possint etiam plures doceri & ædificari.

5 Prima; *Qui Doctorem aliquem consulit in conscientiæ materia, tutius nomina propria supprimet, quàm explicabit*. Ratio est; quia, quæ non dicuntur, nesciuntur; non possunt reuelari. Frustrà per plura fiunt, quæ possent per pauciora ęquè bene: & casus conscientiam concernentes ęquè bene resolui possunt, ignotis aut notis personarum nominibus, de quibus agitur.

Secunda; *Doctor, qui conscientiæ consulitur, tenetur seruare secretum, nec potest sine peccato miserias alienas reuelare*. Hæc obligatio nascitur ex pacto implicito, & ex quinto aut septimo, imò & ex octauo præcepto Decalogi. *Ex pacto* quidem *implicito*; quia nemo sincerè consuleret Doctorem, à quo suspicaretur se iri proditum. ergo qui vult consuli, censendus est, secretum compromittere, & subinde esse pacti præuaricatorem, si secretas miserias consulentis reuelet. *Ex quinto præcepto Decalogi*, quia vita Politica, honos; qui honorem enim habes, viuus es; mortuus, qui cares. Est igitur Homicida politicè, qui proximum vita ciuili, hoc est, honore, necessario ad vitam moralem conseruandam, exspoliat. Tandem *ex septimo Decalogi præcepto* nascitur obligatio secreti, quia inter bona temporalia & mundanas diuitias accidentarius honos præcipuum locum obtinet; ideòque detractor accenseri furibus probabiliter posset. Sed ego, qui de honore sublimiùs sentio, quam vulgares, illum (substantialem intelligo) inter diuitias non enumero, sed politicam esse vitam supponens, quinto Decalogi præcepto adscribo.

6 Præter leges expositas etiam *octauo Decalogi præcepto* interdicitur huiusmodi secreti euulgatio; qui enim dicit, quæ ignorat, mentitur, & qui secreta euulgat, dicit politicè, quæ politicè nescit. Nec restrictione aliqua mentali debet vti Doctor interrogatus, An à tali fuerit de tali materia consultus? sicut nec Confessarius si interrogetur, An talem à tali culpa absoluerit? Igitur ne confessionis aut consultationis materiam prodat, respondeat iniustè & imprudenter interroganti; *Ego quidem magni fieri à vestra Dominatione magni facio; non tamen, si responderem, magni fierem: non enim respondere potero sigillo confessionis aut consultationis illæso, nec hoc lædere potero sine propria æstimationis & authoritatis dispendio. Aut scio Petrum esse innocentem, aut scio esse reum; sed quia vtraque scientia mihi est secreta, non dicerem esse innocentem, tametsi scirem, ne scientia sigillata vterer; non dicerem esse reum, tametsi scirem, ne scientia sigillata abuterer. huiusmodi enim abusus scientiæ iniquus est, quicumque eiusdem vsus est abusus*.

7 Dicis, ex hac doctrina inferri Doctorem conscientiæ consultum committere quatuor peccata specie distincta, cùm secretum commissum temerat: delinquit enim primò contra pactum, secundò committit homicidium politicum, tertiò hono-

honorem alienum suffuratur, quartò mentitur. Addis has circumstantias debere in confessione exponi, sunt enim mutantes speciem.

8 Respondeo me duas substantiales species peccati in reuelatione secreti cuiuscumque cognoscere, & aliquas accidentales. Primam contra quintum preceptum Decalogi, contra octauum secundam. Qui enim secretas proximi miserias euulgat, (pono ipsas tales, vt alter infamiam, si euulgentur, incurrat) eius vitæ politicæ nocet, & mentitur. Pactum quidem implicitum videtur supponi, non contractus; & ideò hæc hypothesis est purè humana, nec Theologica censenda, ni iuramento, præcepto legitimo, aut contractu aliquo corroboretur. Nam si Petrus de secreti obseruantia adiuratus, te proderet, tria peccata committeret; mentiretur enim, asserens publicè, quæ publicè ignorabat; te politicè occideret, æstimationem tuam dilapidando; & peieraret, contra iuramentum agendo. In confessionis sacramento præceptũ Diuinum reperitur, omnem reuelationem etiam proficuam interdicens; & fortè etiam potest superior indicere Doctori subdito, ne detegat secreta crimina ex consultationibus nota: & tunc supposito præcepto superioris legitimi qui secretum detegeret, non solùm mentiretur & moraliter occideret, sed etiam inobediens esset. Denique, si intuitu seruandi secreti munus recipiat, contractus fit, qui debet sub peccato seruari. Circumstantiam furti in secreti euulgatione non admitto, honorem enim substantialem ad vitam moralem, non verò ad diuitias reduco.

Sed inquiris, Quid ego nomine honoris substantialis intelligam; & qui illum ab accidentali distinguam? Respondeo substantialem honorem illum esse, quo perdito homo dici ingenuus non potest; quia sicut in physicis aliud est vitam, & aliud lautam agere; sic etiam in moralibus, aliud est non esse infamem & aliud esse magnificum. Vita igitur moralis est ille honos ad hoc vt aliquis honestus & ingenuus dicatur, honos autem reliquus adest, abest sine honestatis corruptione, & ideo dicitur accidentarius, & debet diuitijs moralibus adnumerari. Audiui aliquos honoris accidentalis carentiam vocare *morbum moralem*, ego illam *moralem paupertatem* nomino; morbus enim physicus est via ad mortem physicam, & moralis est via ad incurrendum infamiam, quæ est mors moralis.

Doctor igitur consultationis scientia abusus, semper dicendus est peccasse contra octauum præceptum: & postea contra quintum aut septimum, prout proximum honore substantiali aut accidentali priuauerit: non tamen statim censendus deliquisse mortaliter, consideranda enim est materiæ quantitas; quapropter addatur

9 Tertia Ecthesis: *Doctor, qui abusus secreta consultationis scientia grauiter infamauerit proximum extra tribunal, peccat mortaliter in genere detractionis, seu homicidij Politici, & venialiter in genere mendacij.* Ratio est; quia detractio grauis graue peccatum est in suo genere: & mendacium priuatum in suo genere leue; potestque eadem actio physica habere duas malitias morales inæquales: nam, qui occidit hominem vt furetur materiam leuem, peccat grauiter in genere homicidij & leuiter in genere furti; nam homicidium adiunctum non efficit, quod furtum quatuor assium, sit centum regalium, ideoque non auget crimen in furti, sed solùm in homicidij genere.

10 Quarta; *Qui abusus secreta consultationis scientia grauiter infamauerit proximum in tribunali, peccat grauiter in genere detractionis, & grauiter in genere mendacij.* Ratio est, quia censemus peccatum leue in genere mendacij fallere personam priuatam; graue decipere Rempublicam: addimus Rempublicam

non

non posse decipi in materia leui tribunalia enim non sunt erecta contra peccata venialia, cùm tantus strepitus forensis sit obnoxius periculis, vt cautiùs venialia extraiudiciali correctioni committantur.

11 Quinta; *Qui secreta consultationis scientia abusus, leuiter laeserit aestimationem proximi committit duo peccata venialia; aliud mentiendo, & aliud detrahendo.* Patet; quia vtrobique materia est leuis. Sed haec ipsa honoris detractio potest esse accidentalis aut etiam substantialis honoris, & ideò ad octauum aut etiam ad quintum praeceptum expectare. Fortè accidentarius honos aptiùs vocare tur *Splendor:* nomina non discutio, rem teneo.

12 Sexta; *Qui secreta consultationis scientia vtens seruit Republica periclitanti etiam detegendo reum, si aliter Reipublica prodesse non possit, ne quidem venialis culpae est reus.* Ratio est, quia nemo potest validè promittere secretum cum detrimento suae Reipublicae, nemo se potest ad tale secretum obseruandum iureiurando obstringere, nemo valido praecepto obligari. Quamobrem, si tibi secreto, sed extra confessionem, dicatur Petrum esse occisurum Regem, vel facturum aliquid quod vergat in graue detrimentum Reipub. sicut iniustè secreti sigillum petitur sic etiam iniustè seruabitur: ergo, quia teneris succurrere periculo publico, debebis secretum detegere, vt Reipub. prosis, tacendo tamen nomina propria, si personis ignotis possit imminenti damno prouideri; siu verò etiam teneris nomina illarum exponere, cautè tamen, ne si publicè dixeris, cogaris probare aut reuocare.

13 Septima; *Cui secretò dicuntur aliqua, quorum notitia nemini nocere poterit, aut aliqua, quorum euulgatio multis prodesse poterit, non tenetur secretum obseruare.* Probatur; quia talis materia non est capax huius obligationis. Si enim indifferens est, politicè nulla est, & subiectum, qua nullum, incapax est cuiuscumque attributi vel formae. Si autem illius rei euulgatio prodesset, iniquè secretum peteretur, iniquè compromitteretur; inuidiae enim crimen incurrerent, qui conspirarent, nequis proximo prosit.

Legeras in Pauli Laymani Morali Theologia lib.3. tract.6. cap.5. & in ipso has periodos. [*Lex charitatis postulat,* (non ergo ait Laymanus hanc doctrinam reducit ad materiam iustitiae) *vt qui crimen suum negat vel celat, quatenus possibile est,* (nota illud, quatenus possibile; ergo non, vbi non est possibilis propria defensio, si accusatoris honori & aestimationi parcatur) *denunciantis famae consulat, dicendo, v. g. eum probabili ratione deceptum, male ab alijs informatum, persuasum fuisse. Quae resolutio non tantum in iudicio, sed in familiari consuetudine locum habere potest. Veluti si Titio amico aliquam rem secreto commiseris* (committis quo rescumque illum Consulis) *quam publicè ignorari tua interfit; postea verò Titius arcanum non sine iniuria alijs narret ac patefaciat, poteris rem totam dissimulare, vel amphibiologico sensu negare, nihil obstante quod Titius in mendacij suspicionem veniat. Hoc enim incommodi sibi ipsi Titius imputare debet, non tibi, qui iure tuo celandi occulti facti vsus es. Ita Petr. Nauarr. l.2.cap.4. num.348. Lessius lib.2.cap.31. dub.2.* His consonat etiam Laymanus lib. 4. tract.3. cap. 13. nu.10. & videtur tibi contra nostram doctrinam stare.

At ego oppositionem non video. Dico enim posse Petrum sibi falso crimen adfictum negare, posse & occultè commissum, semper tamen teneri contra accusatorem sicut contra inuasorem procedere, cum moderamine inculpatae tutelae, nimirum parcendo ipsi, quantum posse, non plus quam possit, hoc est, se exponendo periculo. Quod si Petro

tro

tro honos accusatoris noceat, de mendacio est arguendus; verè enim ipse mentitus est iuxta Assertionem IV. Rem quidem Petrus poterit dissimulare, poterit amphibiologicè negare, imò & poterit absolutè negare; Titij enim imposito, aut secreti reuelatio, tametsi materialiter sit verax, formaliter mendax est, & si inde Titio damnum honoris aut aliud à tribunali infligendum immineat, sibi imputet. Imò, si Petro sit opus ostendere se nullam occasionem dedisse tali suspicioni, tunc iniurius est. Non enim contra iustitiam procedit, quia verè & formaliter commisit mendacium Titius crimen secretum detegendo, non contra charitatem, quia Petrus inuaditur, & cum moderamine inculpatæ tutelæ se potest ab hoste defendere, parcendo illi ius honori, si sic possit euadere; aut etiam illius honorem minuendo aut etiam auferendo, hoc est, illum de mendacio arguendo, si aliter illæsus euadere tribunal non possit.

An Benedictinus possit quempiam consulere sine conscientia sui Abbatis.

14 SVb medium eiusdem Epistolæ legis, *Opus, cùm à vobis perlectum fuerit; tunc non ipsis ad quos factum est, sed eorum priùs reddatur Abbati, & sic demum ad ipsos, si iusserit Abbas, perueniat; Monachi enim sunt, & ex lege sua Regula (nimirùm ex cap.54.) sine nutu sui Abbatis, sicut dare, ita & accipere prohibentur Epistolas.* Et petis *Primò* sitne verùm, quod Monachi Benedictini non possint mittere Epistolas sine licentia? *Secundò*, an saltem possint recipere & resoluere casus conscientiæ independenter ab Abbate?

15 Respondeo hanc Melliflui Doctoris periodum esse Capitis 54. Regulæ Benedictinæ Commentarium, ibi enim S. Legislator, *Nullatenus liceat Monacho*, ait, *nec à Parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas aut eulogia vel qualibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui.* His autem verbis, quis non videat nullas Epistolas posse recipi aut mitti sine licentia (hanc enim vox *præceptum* ibi significat) Abbatis?

Sed dicis. Sæpè contingit Religiosos scrupulis torqueri, & egere solamine, posseque eorumdem teneras conscientias sedari, si consulant doctos. Ergo non tenentur petere licentiam consulendi, aliàs enim se & conscientiæ suæ quietem periculis summis exponerent. Primò enim scrupulos & secreta peccata non tenetur subditus declarare Prælato: & si declaret, poterit contingere Abbatem aut indoctum, aut imprudentem esse; & si hoc accidat, nullam veritatis cognoscendæ, nullam secreti seruandi esse securitatem.

Nihilominùs principali Quæstioni & suppositæ instantiæ Theses sequentes satisfacient.

17 Prima. *Peccata mortalia (hac sunt; facta, dicta, aut concupita contra legem Diuinam) nemo tenetur suo Prælato extra confessionem sacramentalem detegere: nec in confessione sacramentali, si non validè reseruata.* Constat ex S. Regula docente Cap.46. culpam, sic animæ fuerit secreta & latens, exponendam esse Patri spirituali, qui nos instruat, qui debeamus corrigere proprias & non publicare alienas.

18 Nec sibi contradicit Benedictus Cap.4. cum ait, *cogitationes malas corde suo aduenientes mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere.* Et Cap.7. cum gradus Humilitatis, quibus cœlum adscendimus, describit; verba eius sunt, *Quintus Humilitatis gradus est, si cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non*

non celauerit suo. Hæc enim verba multifariam possunt explicari. Nam dicere possumus *primò* consulenda proponere non præcipienda; multa enim in his gradibus enumerat, quæ Consuli possunt, & tamen præcipi non possunt; tale est illud, quod septimo exponitur; nempe, *Omnibus se inferiorem & viliorem non solùm sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu*. Et tamen certum est intimos cordis affectus, & mentis secretas sententias humanis præceptis non subesse directè. *Secundò*, possumus dicere hic agi de sacramentali confessione; & addere cautè S. Legislatorem processisse, cùm iussit mala abscons è commissa per humilem confessionem Abbati non celari; non enim iudicabat expedire conscientiæ maculas vel Abbati innotescere extra tribunal confessionis. *Tertiò*, etiam dicere possumus non agere S. Benedictum de culpis moralibus, sed regularibus; & si de moralibus, de leuibus, quæ ne leuiter quidem infamare possunt; & si de grauibus, de aliquibus commissis in seculo ante conuersionem, non tamen de omnibus, sed de illis, quæ sine dedecore narrari possint. Cæterum hunc gradum humilitatis adscensurus legat, quæ scripsi in Commentarij mei in Regulam *num. 686.* & mente alta conseruet illud axioma.

Cras dici non dicta queunt; iam dicta nequibunt

Cras reddi non dicta. ————

Sæpè enim contingit electorum errore Hominem præfici, cui audire secreta non expediat.

19 Secunda. *Nullus Religiosus Benedictinus potest consulere verbo, aut scripto aliquem contra voluntatem sui Abbatis, nisi in necessitate*. Patet; quia nemini potest loqui, aut scribere contra præceptum Superioris, nisi sit extremè necessarium; taliter enim necessaria impediri lege non possunt, sicut nec impossibilia præcipi. Non est constitutus in extrema necessitate consulendi aliquem contra Abbatis imperium, qui degit in communitate in qua sunt viri mediocriter docti, qui possunt Consuli; nec ille, qui degit inter imperitos, si subsit Prælato, qui huiusmodi consultationes non inhibeat. Cæterùm, si scrupulo aliquo graui vexeris, nec sit in tuo Cœnobio vir cui confidere possis, nec Abbas aliquem virum doctum verbo aut scripto conueniri permittat, tunc liberè solamen quærito; non enim debes Tyranno obedire, sed Patri. Sentio tamen hunc casum vix esse dabilem, semper enim sunt in Monasterijs viri docti, nec vnquam vidi Abbatem, qui vtiles consultationes interdiceret.

20 Tertia. *Religioso dubitanti & ignoranti tenetur Antistes Magistrum concedere, non tamen quem postulat subditus, sed quem Antistes iudicat expedire*. Patet; quia Abbati est cura commissa magisterij; ipsæque per se, vel per alium debet suos subditos docere & instruere. Satisfacit tamen Magistri obligationi Antistes, cùm media sufficientia subministrat; nimirum, cùm cœnobio moralis Theologiæ Professorem satis doctum; & huic libros necessarios concedit. Sed quos libros?

21 Episcopus N. interdixit, nequis Bibliopola in sua diœcesi Opera Dianæ venderet; Consulor, an huiusmodi præceptum sit legitimum? An possit tuta tolerari conscientia? An subditi teneantur obedire?

22 Bibliopolæ tunc temporis respondi; sed quia contingit Antistites etiam in suis Abbatijs libros nonnullos interdicere, iterum libenter respondeo, affirmans esse penes quemcumque Patremfamilias authoritatem interdicendi libros nociuos, quamobrem non solùm Diana, sed & Euangelium potest interdici si nocere credatur. Probatur; quia Romano Catholica Ecclesia de facto interdicit omnes vulgares sacrorum Bibliorum translationes, tametsi à viris

B doctis-

doctissimis & pientissimis factas; non quidem qua malas & veritati dissonas, sed qua nociuas; multa enim etiam vera tutiùs ignorantur; sunt enim, qui ex melle exsugunt venenum, quibusque expediret illa omnia ignorare, quorum possunt abuti notitia.

23 Dico igitur *primò*, Dianam esse excellentissimum authorem, de Ecclesia benemeritum, cui debent summam quietem conscientiæ,& Ethica summam benignitatem.

Secundò, peccare mortaliter Episcopum, qui doceret hunc Authorem esse, aut in proponendo præcipitem, aut in resoluendo temerarium: ipse enim probabilissimas sententias complectitur, & authores fidelissimè citat, ita vt rarò (quod humanum est) errare deprehendatur; & cùm vnum vel alterum authorem malè citauisse deprehenditur, opinionum probabilitati non detrahitur, ipsæ enim multorum testimonijs stabiliter ab vnius, aut alterius authoritate non dependent. Lege mei Commentarij *numerum* 69. vbi ago de Prælato N. qui, vt meliùs (sic enim sibi persuadebat) subditos suos regeret, docuit peccare illos mortaliter, qui sequerentur tales & tales opiniones, quæ erant verè probabiles. Dixi peccare mortaliter Episcopum, qui Dianam condemnaret, quia iniustè damnaret innocentem in re graui; nemo enim dubitat esse grauis ignominiæ notam declarari præcipitem & temerarium.

Tertiò, interdicere Authorem non est authorem condemnare. Ratio est, quia optimi libri sæpè propter politicas commoditates sunt interdicti, saluo Authorum honore; nam si contra priuilegium priori concessum Typographo recudantur, libri editionis secundæ vendi & distrahi non possunt, non quia mali (supponuntur enim ad literam cum alijs conuenire) sed, quia sine facultate impressi. Item, actiones indifferentes, imò & bonæ solent prudenter interdici, propter inconuenientia, quæ ex abusu resultant. Superior igitur, si existimet Dianam aut alio quocumque authore suos abuti subditos, eum interdicere poterit eiusdem reuerentia seruata.

Quartò, subditus, qui sciat finem adæquatum interdictionis esse ne sibi lectio noceat, & sciat etiam eandem sibi nocere non posse, poterit cautè illo vti etiam contra voluntatem Prælati, & hoc in foro interiori; quia si de exteriori disputetur, prolixior erit disputatio. Probatur, quia cessat etiam in eodem eiusdem legis obligatio, vt docent excellentissimi Scriptores, quos allego & sequor in Commentarijs *nu.* 50.

Sextò, qui libris interdictis, tametsi bonis, vtitur, puniri in exteriori foro poterit, ni ostendat cessasse finem adæquatum, quem Legislator intenderat. Item, qui libris interdictis, tametsi malis, vtitur, puniri in exteriori foro non poterit, si ostenderit cessasse adæquatum finem interdicentis legis. Sed, qui debet ostendere; probabiliter, an euidenter? sufficeret sanè probabiliter, non enim iustè puniri potest, qui probabiliter innocens est. Sentio tamen esse valdè difficilè aut fortasse impossibile, probare adæquati finis cessationem; potest enim Legislator varios simul, hosque graues, fines intendere, nec tenetur mentem suam omnibus & singulis communicare; Hispania enim cum interdicit libros materni idiomatis in Gallia aut alijs prouincijs impressos, non prospicit lectorum conscientijs, sed Typographorum commoditati; sunt enim tales homines necessarij Reipublicæ; nec viuere possent, si liceret libros Hispanos, Lugduni, Parisijs, Francofurti, aut in alijs ciuitatibus externis imprimi. Quicumque igitur sine Regis licentia libros linguæ vulgaris extra Hispaniam impressos habuerit, reus erit; nec eum priuata lectionis excusabit vtilitas: hæc enim vergit in manifestissimum, hocque lege cautum, Reipubl. interdicentis damnum.

24 Ab-

24 Abbas N. interdixit ne Commentarius in Regulam D. Benedicti Authore Caramuel legeretur ab aliis quam à Priore, Professore, & Senioribus: petitur, an potuerit?

Respondeo non solùm potuisse interdicere illum iunioribus, sed & Senioribus: ipse enim est illarum ouium pastor & custos. Forte timuit nota veritas noceret, multa enim vtiliter ignorantur. Multa etiam valdè bona interdicuntur. Editio Bibliorum vulgata optima est, & nihilominus Professores prudentes illam cauemus discipulis quousque in scholasticis quæstionibus bene versati possint eam intelligere; Assertæ enim diuinæ, si malè intelligantur, grauissimè nocere possunt. Vnde non scio, cur non possint interdici Diana, Sanchez, Caramuel, tametsi dexterè scripserint, si Superiores videant, quòd sinistrè exponantur. Sed & sinistrè exponi Euangelium ab omnibus hæreticis; Augustinum à Lutheranis præcipuè & Caluinianis; Dianam, Sanchez, Caramuel ab imperitis & idiotis experiuntur mecum omnes illi Prælati, qui Theologiæ Moralis lectionem Monachis imperitis indulgent: qui enim indulgere genio desiderant, si vel leuiter laborent intellectu, nolunt intelligere vt bene agant. Quamobrem meo iudicio huiusmodi hominũ monstris non solùm possunt libri morales interdici, sed & nonnunquam debent; habere enim vel vnum Breuiarium illi superest, qui libros interlegit & non intelligit.

Nonnulla de temerario iudicio, & imperfectionum leuium reuelatione.

25 CVm magna aduertentia legeras hanc Bernardi periodum, *Ob hoc maximè diu, sicut scitis, multum licet rogatus ab eis respondere tardari; quid (vt mihi videbatur) ignorante Abbate scribere illas Epistolas & mittere præsumpsissent: nec falsò id suspicatus sum, vti postmodum liquido comperi.* Et inquiris, An Mellifluus Doctor fuerit Iudex temerarius? & si non, An Monachis illis iniurius, eorundé peccatum, aliàs secretũ, euulgauit? nemini enim innotescebat, quòd scripsissent sine licentia Superioris, & iam asserente Bernardo nemo id ignorat; infamati igitur de inobedientia illi sunt, qui non laborarent infamia, si illorum culpa non fuisset euulgata à Bernardo.

26 Respondeo primò, incredibile esse caruisse Bernardum grauibus fundamentis, cùm suspicatus est illos sine Abbatis sui licentia Epistolas illas misisse.

Addo hanc culpam potuisse reuelari à Bernardo. Ratio est; quia vt inferiùs videbitur opinione Bernardi hæ eadẽ & aliæ Sanctæ leges, sunt purè pœnales, & conscientiam non ligant, & honorem non tangunt; ideoq; ne leuiter quidem illorum Religiosorum lædebatur existimatio, cum scribere sine licentia dicebantur.

27 Dices, errauisse Bernardum cùm illis Religiosis scribens Epistolam illorum Abbati destinauerit; quoniam ex Bernardi responsione Abbas ipse Carnotensis cognosceret suos Religiosos sine licentia scribere præsumpsisse, posset q; in illos seuerè animaduertere.

28 Nego tamen errauisse Bernardum, tametsi reliqua concedam. Fortè Carnotensis Antistes non habebat tantam curam circa Cap. 54. obseruantiam, quãtam deberet; ideoq; instrui & modestè corrigi debebat. Quod si haberet, admonendus erat, ne permitteret subditorum cautelam sua esse diligentia prouidentiorem. Hæc autem fraterna admonitio Prælato & subditis ipsis proficua, nulli nocere poterat; non enim Prælati semper vident, quæ vident, nec semper in negligentias quaslibet animaduertunt; nonnumquã potuisse puniri,

niri. sufficiens medicina est. Sed esto Religiosi illi punirentur; quid inde? authoritate & honore illæso perderent propter Deum & Regulam commoditatem, ac propterea aliqualem lauream mererentur.

29 Addo tertiò eum, qui dixerit Regulam D. Benedicti obligare conscientias ante præceptum Abbatis debere necessariò dicere peccauisse Bernardum illos Monachos se consulentes traducendo. Ratio est; quia si illi grauiter peccarunt mittendo Epistolas ad D. Bernardum, hic eos contra Regulam egisse exponês, de peccato graui hocq; secretò accusat, & vincula fidelitatis temerans illos apud suum Antistitem, apud Dominum Columbensem, imò apud Lectores vniuersos infamat. Igitur vel ex hoc solo capite colligitur Benedictinam Regulam sententia Bernardi non obligare sub culpa graui; non enim dicturi sumus eum contra dictamen & conscientiam in hac Epistola egisse secretum, hocq; graue peccatum, Domino Columbensi, cuius non intereat, temerè reuelando. Præterea, si leuiter ipsi peccarunt literas sine Antistitis licentia scribendo, actionem commiserunt leuiter ignominiosam; peccata enim venialia, quæ communia non sunt, saltem leuiter honori officiunt: ergo Bernardus cùm secretum violauit, veniale peccatum commisit. Ergo ne dicantur in Melliflui Doctoris scriptis imprudentiæ remanere vestigia, & detractionis characteres, dicendum Religiosos illos ne venialiter quidem peccasse Epistolas sine licentia destinando; addendum eosdem ne leue quidem dedecus incurrisse ex huius vulgatione præsumptionis; concludendum, potuisse publicè denunciari à Bernardo, vt pœna corporali, & hac, si opus esset, seuera, purgaretur illa negligentia, & homines non confunderentur.

Legem aliàs pœnalem, aliàs moralem, & sæpiùs mixtam esse.

30 Clauditur Epistola Bernardi his verbis, *Detur ei titulus de Præcepto & Dispensatione, nisi vobis aliud fortè congruentius videatur*, & vt meliùs Resolutiones D. Bernardi intelligas, desideras, Quid, Quale, & Quotuplex, sit humanum præceptum, quantum ad controuersias præsentes attinet, percallere.

31 Respondeo nomen *præcepti* sumi propriè & impropriè; si sumatur propriè, significat obligationem in consciẽtia à lege superiore emanantem; si impropriè, pro Monito, Consilio, & Licentia supponitur iuxta ea, quæ sub finem Comment. doceo in Lexico Benedictino. A Monito differt Præceptum strictè sumptum, Monitum enim est præceptũ purè pœnale, hoc est, lex obligans ad pœnam, non ad culpam. Differt ab vtroque Consilium, quia tametsi præmium promittat acquiescentibus, non arguit temerantes. Qui violat præceptum morale, seu præceptum rigorosè sumptum, est reus culpæ: qui monitum, hoc est, præceptum purè pœnale, est reus pœnæ, non culpæ: qui verò non satisfaciat consilijs, nec incurrit culpam; nec pœnam.

32 Reperiuntur nonnunquam legis mixtæ, nempe, quæ simul præcepti moniti & consilij vim habeant. Cultus Diuinus consulitur, admonetur, præcipitur. Hortatur nos Deus suo diuino consilio, & præmia æterna & temporalia colentibus se pollicetur. Ne se contemnant admonet, & peccatores pœnis æternis & temporalibus condemnat. Reuerentiam & amorem præcipit moraliter, & detestatur transgressores.

33 Vtrum possit Deus pura præcepta moralia imponere, grauissima difficultas est, nec eius resolutio proderit intelligendis Regularibus obligationibus. Sanè,

sanè, si talia Deus præcepta imponeret (possit aut non) transgressores peccarent quidem, non tamen pœnas luerent nec præmium haberent obseruantes.

34 Cæterùm nullum datur de facto præceptum purè morale. Patet, quia nulla lex est, quæ obliget ad culpam, quæ, non obliget etiam ad pœnam transgressores, non donet præmio obseruantes. Nam satisfacientes præceptis Laureolã æternam merentur; ideoq; præcepta Diuina videntur simul habere rationem consiliorum & monitorum; temerantes enim peccant, ac pœnæ debitum incurrunt, & in peccato relucet præcepti moralis violatio, in pœnæ debito violatio moniti seu præcepti pœnalis.

35 Dari possunt pura consilia, quæ nec ad pœnam obligent, nec ad culpam. Non tamen erit facile hæc pura consilia reperire, & determinare; fortè enim non dantur, sed omnia monita etiam sunt, videntur enim semper habere comminationes & pœnas aliquas saltem temporales admixtas. Sed de hoc nonnulla postmodùm obseruatione digna adijciam.

36 Maior est difficultas, quæ inquirit, An dentur leges purè pœnales? hoc est, tales, quæ obseruantes nullo præmio donent, & idcircò consilia non sint, & transgressores macula peccati non ligent, sed pœna, ideoq; præcepta rigorosa non sint, sed monita.

Sed respondeo primò, nullam legem diuinam talem esse; sunt enim præmia cœlitùs præparata satisfacientibus legi diuinæ, sunt pœnæ contra præuaricantes.

37 Addo secundò, Petrum Abaylardum putasse legem Dei consilijs & monitis coalescere, nullumq; verùm morale præceptum continere. Reperio ipsi idem esse peccatum ac pœnæ æternæ debitum, idem virtutem ac vitę æternę meritum; sed hic error iam tandem deuictus obsoleuit, & vix ab aliquo propugnatur hæretico aut schismatico.

38 Addo tertiò, dari monita humana (hoc est, leges purè pœnales) nullum præmium concedentia obseruanti, sed pœnam temeranti infligentia. De his disputo in Commentarij mei *num. 30. & deinceps*.

Dantur etiam in Rebuspub. consilia purè humana, hoc est, leges prẹmia satisfacienti proponentes, nulla pœna reliquos condemnantes. Sic legibus magna prẹmia proposita, Circuli peripheriam metienti, aream quadrantem, costę & diagoni proportionem inuenienti, *num.* 24. radicem exactè extrahenti; tametsi reliqui nulla pœna terreantur.

39 Sed, vtrùm detur apud Deum pura consilia, inquiris. Respondeo posse dari, imò & dari facto. Sed instas hoc vltimum falsum videri; nam omnia, quę de facto consilia dicuntur, tametsi prẹcepti rationem non habeant, nec moniti; secularis enim, qui vxorem ducens consilium castitatis non seruat, nec inficitur peccati macula, nec pœnę positiuę alicuius incurrit debitum; cæterùm videtur castitatis articulum habere rationem consilij & negatiui moniti; consilij quidem, quia obseruantibus prẹmia promittit Deus; moniti verò negati, quia tametsi nullam pœnam positiuam incurrant præuaricatores, incurrũt tamen negatiuam; scimus enim coniugatis multos fauores & gratias Deum non concedere, quę concederet, si in virginitate & puritate permansissent.

Respondeo aliud reperiri speciale in hac obiectione, nam omnia consilia sunt negatiuè monita, & omnia monita sunt negatiuè consilia; quia si *pœna negatiua* dicitur prẹmio, quod aliàs obtineret, priuari; etiam poterit dici *præmium negatiuum* non affligi pœnis, in quas aliàs si peccaret, incurreret. Sed hic agimus de statu rerum positiuo.

40 Hęc doctrina permissa bene intelligitur D. Bernardus, cùm primò huius libelli capite controuersiam ventilandam proponit. Inquirit enim, An Benedictinæ

diſtinæ Regulę ſanctiones ſint conſilia, an monita, an præcepta? hoc eſt, an proponant præmium obſeruantibus, quin temerantibus minentur pœnam? An verò pœnam imponant præuaricatoribus, nullum obſeruantibus præmium? An tandem obligent in foro interiori? & ſi obligant, grauiterne, an leuiter? actu an potentia? hoc eſt, vtrùm dentur in Regula præcepta, an ſolummodò præceptibilia? ſiue, quod idem eſt, an Regulę ſinguli articuli obligent moraliter ante præceptum Abbatis, an ideò dicantur poſſe obligare, quia poſſunt ab Antiſtite pręcipi? an deniq; ſint leges hypotheticę ex præcepto, monito, conſilioque attemperatę, analogę huic, *Ego pręcipio ſtrictè & rigorosè, quod vel ad vadas matutinas, vel ſubeas pœnam regularem?* Hæc omnia in dubium reuocari poſſunt, & omnia examinat in hoc Opere Doctor Sanctiſſimus.

D. BERNARDI PROLOGVS.

43. *QVa mente iam docebo? Qua fronte tamen loquar? Crebris Epiſtolis & nuntijs cogitis* A *me aut propriam prodere imperitiam, aut officium renuere charitatis. At ego malens ſine illa quæ inflat, quam absque illa, quæ ædificat inueniri, victus tandem precibus veſtris, duris* B *injicio nodis vngues teneros, & vt vereor ego, non aliud quam terendos. Sed hoc in caſſum; Nam mea me, vt ſcribitis & præſcribitis, tam abſentis ſcripta, quam verba præſentis arguunt excuſantem.* C *Quis enim iam relinquitur mihi* D *vel de impoſſibilitate cauſandi locus, præſertim apud vos, qui ex ore & corde de meo ſatis certum tenere vos creditis quantum poſſim in talibus? Fidei proinde veſtræ non meo* E *fidens ingenio abyſſum ingredior Quæſtionum, neſciens, Deus ſcit, quà emerſurus. Præſto* F *charitas erit; vtinam ita & veritas. Si quominus excuſet effectus potius ingenij, voluntatem certè non culpabitis.* G *Tentabo autem eaſdem, ſi potero, quæſtiunculas ſub Epiſtolari* H *breuitate redigere,* I *etſi non Epiſtola breui. Mirum ſiquidem non eſt, ſi fuero ego longior in exponendo, cùm vos eas tantum* K *ponendo duas & ipſas ſatis longas Epiſtolas texueritis.*

35. NEc Prologum, nec Capita diſtincta reperies in libris manuſcriptis; diſtinxit in impreſſis Typographus; non tamen vbique textus animam aſſequutus dignoſcitur ex titulis Capitibus ſingulis præfixit. Claritati & facilitati conſulens textum diuiſi in plura Capita, vt euidentiùs noſtri Authoris intellectus reluceat, & faciliùs poſſit examinari.

A. Controuerſia & valdè vtilis, quæ inquirit, *An humana libertas poſſit cogi aut neceſſitari?* Prius negat Caluinus, & concedit poſterius, ſed Bernardus poſſe cogi li-

gi libertatem concedit: posse autem necessitari non admittit. Vnde liquet ineptissimè nostrum Authorem citari pro Hæresiarcha, cùm euidentissimè contrarium adferat. Thesis Caluiniana hæc, *Libertas cogi non potest, necessitari tamen potest*. Bernardina, *Libertas cogi potest, non tamen potest necessitari*: quis ergo an alphabetos, præter Caluinum & eius adseclas, has esse positiones æquipolentes iudicabit? Sed neque coactionem puram & negatiuam libertati adfingit noster Author, sed positiuam, ac ideò inadæquatam; quod examinaui, dum Sermonē 82. in Cantica illustrarem, præcipuè Ecthesi 25. 26. 27. & resumam inferius *nu.* 44.

B. Hæc periodus bifariam ex MSS. collatione legitur. Alia enim habent, *Initio nodis vngues teneros, & vt vereor ego, non aliud quàm terendos*, sensu curioso & pulchro: habent alia, *Initio nodis vngues teneros, & vt vereor ego, non aliud quàm tenendos*. Hanc vltimam lectionem multi reijciunt, sed & multi præcedenti præponunt. Incipiebat, inquiunt, dum hæc noster Author scriberet, respondere moralibus, & edere nonnullas Ethicas Resolutiones; & quia Moralia sacra sunt, non tam incipiebat manu scribere, quam manu sacro eique secreto argumento initiare. Sanè nodis durissimis vngues initiabat terendos, cæcis & intricatissimis tenendos; nodis enim duris stylus teritur; cæcis intercipitur, implicatis tenetur.

C. An possint Benedictini Antistites impossibilia præcipere; an ea quæ sententia subditi prudentis sint moraliter mala; examino *num.* 45.

D. Secutus sum mea MSS. sed editio noua Coloniensis: & aliquæ antiquiores habent, *Qui enim relinquitur mihi in illis, vel de &c.*

E. Fidens Ingenio] Nomine *Fidei* Bernardus in rebus moralibus, rarò supernaturalem intelligit, frequentius Iudicium prudens, Opinionem probabilem.

F. Possintne virtutes supernaturales exorbitare, ita vt Fides falsò ad sensum præbeat, Spes rem non futuram expectet, & malum amet Charitas, examinant curiosè Theologi; & nos cum nostro Authore *num.* 50.

G. Veterum MSS. orthographia bona non est, & quia non est bona, nec orthographia dici debet, reperies *Temptabo, Condempnabo*, & sexcenta alia, quæ facili negotio corriges.

H. Epistolari] Editio noua. *Epistolari cunctas breuitate*, sed mea MSS. non habent illud *cunctas*.

I. Etsi] In libris impressis lege *Etsi* & retineo, tametsi MSS. habeant *Etiamsi*.

K. Ponendo] Alia Exempla, *proponenda*.

An coactio opponatur voluntati hominis naturali? an supernaturali?

Legis attentè illa Prologi antecedentis verba; nimirum, *Crebris epistolis & nuntijs cogitis me, aut prodere imperitiam, aut officium renuere charitatis*; & notas illud, *cogitis*, & inquiris: An libera Hominis vel Angeli voluntas possit cogi? & si possit, Qualiter & à quibus? Asserente Bernardo positiuè potest, negatiuè non potest. Cogitur negatiuè, qui necessitatur agere quod non vult voluntate se habente purè negatiuè; cogitur positiuè, qui necessitatur agere

agere quod voluntate respuit positiua. Impossibile est, quòd igitur quis velle voluntate se habente purè negatiuè, ipsummet velle est actus positiuus volũtatis, & repugnat quod quis habeat actum voluntatis se habentis purè negatiuè, hoc est, carentis omni actu. At positiuè ipsa voluntas potest cogi. sæpè enim operatur contra voluntatis decretum ac ideò in vita. Mercator habet duo decreta voluntaria. Conseruare vitam vult, vult etiam conseruare diuitias. Vrgente tempestate diuitias proijcit in mare, ne pereat; illas inuitus proijcit, quia proijcit nolens. Non proijcit inuitus negatiuè, quia habet vnum actum quo dicit, *Volo diuitias profundere* at ille actus est contra voluntatem illam qua dicit, *Volo conseruare diuitias*, & ideò elicitus à voluntate inuita, quia elicitur contra voluntatem. Mercator naufragans cogitur, aut perire, aut opes vniuersas perdere; has perdens obedit decreto de conseruanda vita, & vim infert decreto de opibus conseruandis. Bernardus precum amica tempestate obrutus habet duo decreta, vult non agere magistrum, & vult non deesse charitati: cogitur politicè vt vel desit charitatis officio, vel assumat authoritatem Magisterij. Quæstionem propositam resoluit inuitus positiuè; videlicet, volens, & nolens. Volens quidem, quia aliàs non faceret: nolens & inuitus, quia hanc ipsam quæstionem resoluendo sequitur voluntatem obsequendi, & vim infert alteri voluntati, qua decreuerat discere potiùs quàm docere.

An impossibilitatis exceptio militet contra legem Benedictinam.

45 Epistolis & nuntijs pluribus Carnotenses illi Religiosi verã suarum obligationum cognitionem adsequi desiderantes, solicitarunt meum Doctorem Mellifluum, vt propositas controuersias resolueret. Deuincierant animum Bernardi obsequijs, & ideò armata erat eorumdem postulatio, eius se fortitudine & violentia cogi non diffitetur S. Doctor; non enim non necessitari ad obediendum poterat, qui rogabatur amans; non poterat non cogi, qui consulebatur inuitus; inuitus, quia malebat doceri, quàm docere. Excusauerat se impossibilitatis titulo respondens se nec habere illam vbertatem doctrinæ, nec illam eminentiam ingenij, quam qualitas Conscientia-consulti requirit. Sed hoc incassum; non enim consulentes excusationi detulerunt, quin potiùs responderunt, se nil impossibile solicitare; nam ex verbis scriptisque Bernardi constabat, quantum sapientia eius cœlestis in similibus posset, Ad hæc Bernardus; *Quis enim*, ait, *iam relinquitur mihi in illis de impossibilitate causandi locus præsertim apud vos, qui ex ore & corde meo satis certum tenere vos creditis, quantum possim in talibus?* Et tu Bernardo. Cur non relinquitur locus causandi de impossibilitate? estne mancipium Religiosus, cui non liceat sufficientiam suam examinare, sed potiùs debeat clausis oculis obedire etiam impossibilia præcipienti? Neminem teneri ad impossibile luce meridiana clarius est: impossibile tamen, quis ambigat, quod vires excedit obedientis? Poteritne rem impossibilem conuertere in possibilem benigna præcipientis opinio, si sublimiùs de subdito cogitans quàm deberet, illi possibilia multa existimat, quæ subditus post sincerum examen existimat impossibilia? Cùm de rei præceptæ possibilitate disputatur, cui tenetur subditus opinioni subscribere; propriæ, an alienæ? Hoc dubium nascitur ex verbis D. Melliflui inclamantis sibi indici Spartam impossibilem; sed quia contrarium iudicabant qui indixerant, animosè obedientis.

46 Respondeo impossibilitatis exceptionem

ptionem esse peremptoriam contra quamcumque legem. Addo pertinere ad subditum examinare an res præcepta sit possibilis, modò non cesserit suo iure, & admiserit viuendi conditionem, in qua illud committitur prudentiæ alienę. Subiungo D. Bernardum ex Regulę Benedictinæ præscripto non potuisse hoc sibi arrogare iudicium, sed debuisse cōtra proprium dictamen subscribere sententię præcipientium. Sciebat se professum viuendi conditionem, in qua statuitur vt iunior seniori suo etiam iubenti impossibilia obediat. Imò & exactè satisfecit. Cū enim Bernardo Carnotēses Seniores exponendæ Regulę, arduam quidem & grauem & in ipsius sententia impossibilem prouinciam imposuissent, suscepit quidem Bernardus iubentium imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Sed quia omnino virium suarum mensuram putabat pondus oneris excedere, impossibilitatis suę causas illis patienter & opportune suggessit, non superbiendo, aut resistendo, aut contradicendo. At quia post suggestionem suam in sua sententia Priorum (hoc est *Seniorum*) imperium perdurauit, sciuit Bernardus iunior ita sibi expedire, & ex charitate, confidens de adiutorio Dei, obedijt.

47 Hinc constat *primò* Caput Regulę 68. summam habere connexionem cum 71. quod inscribitur, *Vt obedientes sint sibi inuicem Fratres*: hic lego, *Obedientiæ bonum non solùm Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem ita obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad cœlum. Præmisso ergo Abbatis aut Præpositorum, qui ab ipso constituuntur, imperio (cui non permittimus priuata imperię preponi) de cætero omnes Iuniores Prioribus suis* (id est, *Senioribus*) *omni charitate & sollicitudine obediant*. Ecce docet cap. 71. Iuniorem Prioribus omnibus suis obedire debere ni fortè contingat eos priuatim aliquid contra publicas leges decernere: & ne quis prętexeret impossibilitatis exceptionem, cap. 68. concedit, vt si quando contingat Iuniori aliquid à suo Priore vel Seniore indici, quod vires suas excedere videatur, se semel humiliter excuset; at si excusationem senior non admittat, pręcipit vt obediat. ita Regulę Caput 68. consonans præfationi in qua legimus; *Quod minus habet natura possibile, rogemus Dominū vt gratię suę iubeat nobis auxilium ministrari*. nihil enim pręcipi solet, quod sit impossibile homini gratia Dei ornato.

48 Constat *secundò* hanc vrbanitatis & modestię Regulam claustris vnius monasterij non concludi, sed ad omnia extendi: in omni enim loco, vt cap. 61. notat S. Benedictus vni Deo & Domino seruitur, & vni Regi militatur. Admisit Bernardus Seniorum Carnotensiū, tametsi in alio Cœnobio professorum & degentium, imperium; cautè tamen; nam ne priuata mandata publicis anteponerentur, quod Capite 71. Regulæ interdicitur; & ne epistolas reciperent contra præscriptum Capitis 54. ad Abbatem Columbensem hanc Resolutionem destinauit, & inquit, *Hoc opus, cùm à vobis perlectum fuerit, tunc non ipsis* (nempe, *duobus illis Carnotensis Monasterij Senioribus*) *ad quos factum est, sed eorum prius reddatur Abbati, & sic demum ad ipsos* (*si iusserit* hoc est, *si permiserit*) *Abbas perueniat. Monachi enim sunt, & ex lege sua Regula* (videlicet cap. 54.) *sine nutu sui Abbatis, sicut dare, ita & accipere datas prohibentur epistolas*.

49 Constat *tertiò* Caput illud 68. non debere exponi de rebus illis solùm, quæ expresſè continentur in Regula sed etiā de illis omnibus, quæ, quia ad Regulæ obseruantiam conducunt, dicuntur esse secundum Regulam. Bernardus enim ex vi illius Capitis senioribus obedijt impossibilia, vt se putabat, præcipientibus; cùm tamen certum sit huius indictionis materiam non esse expressam in Regula Benedictina [nullibi enim præ-

 cipitur,

cipitur, quòd Iuniores Regulę loca obscura dilucident & ancipites controuersias resoluant;] sed maximè conducere ad Regulę perfectam obseruantiam, vt illam Doctores exponant, ac propterea secundum Regulam, hoc est, medium ordinatum ad meliùs obseruãdam: multò enim meliùs potest obligationi satisfacere, qui illam meliùs cognoscit.

An subesse possit Fidei falsum, Spei non-futurum, & Charitati malum?

50 INquirunt Theologi, An ex supernaturalibus virtutibus, possint prodire operationes deordinatæ? Vtrum Fidei possit subesse falsum? Spei non futurum? & malum Charitati? Sanè possumus agere de inordinatione formali & materiali, quæ omninò diuersæ sunt, & diuersissimas quæstiones inuoluunt. Spei posse subesse non futurum meridie puro clarius est, sunt enim in pœnis æternis, qui vitam æternam sperarunt. Iudas, & ipsi similes, sancti nonnunquam fuerunt, supernaturalibus prærogatiuis præditi gloriam sperarunt futuram, quàm numquam habituri sunt. Cùm positionem putamus esse reuelatam, sincerè credimus, & euidentem demonstrationem nondum vidi, quæ conuinceret materialiter falsa non posse credi supernaturaliter. Multa quotidiè materialiter mala ex bona intentione committimus, meremur tamen, illa enim facimus vt Deo seruiamus. Hoc vltimum videtur confirmare hæc nostri Doctoris periodus; *Presto Charitas erit, vtinam ita & Veritas. Si quominus excusset effectum defectus ingenij* (fortè legendum est, *si quominus incusset effectus defectum ingenij*) *voluntatem certè non culpabitis.* Ergò sensit Bernardus dari ignorãtiam inuincibilem, quæ componat cũ charitate errores, & exorbitantias cum gratia. Ergo teste Bernardo potest contingere, quòd quis ex charitate operans, quærat, non tamen inueniat veritatem. Ergo in tali casu, qui vult veritatem adsequi, & tamen factis omnibus diligentijs defectu ingenij non adsequitur, teste Bernardo non delinquit; Nullus enim delinquit, cuius voluntas non possit culpari; in peccato enim culpatur voluntas, nam illud est culpa voluntaria; Atqui volentis ex charitate veritatem attingere, & ingenij defectu exorbitantis non est culpabilis voluntas, vt expressè docet noster Author: ergo qui Deo seruire desiderat, & tamen ignorantia insuperabili præpeditus exorbitat cùm putat se sanctè procedere, non peccat.

Hæc omnia certa sunt, dubium tamẽ, an in tali casu operentur, habitus naturales, quiescentibus supernaturalibus? Si inderet Deus Petro duos oculos penetratos, videret, & nesciret se duos habere; & si negaret alteri oculo & alteri concursum concederet, videret quidem Petrus altero, altero nõ videret, nesciret tamẽ vtro. Sic nobis cõtingit in actibus Fidei, Spei, & Charitatis; Caluinista credit fide naturali Deum Trinum, Catholicus naturali & supernaturali; cæterùm nec nos experimur duos actus simul elicere de eodem obiecto, nec Caluinista se elicere naturalem & non supernaturalem. Igitur siquidem resolutio hæc ab experientia peti non possit, & moribus regendis non prosit, relinquatur adhuc indecisa, vt suo loco radicitùs examinetur.

Qua-

Quæstio principalis proponitur, & omnes possibiles sententiæ recensentur.

CAPVT I.

Prima igitur quæstio circa Regulam nostram versatur, de qua, nisi fallor, & reliquiæ omnes, aut penè omnes oriuntur. Quæritis nempe, regularis illa institutio quomodò & quatenus sit pensanda profitentibus eam; Vtrùm videlicet cuncta, quæ continet, putanda sint esse præcepta; consequenter & damnosa transgredienti? an consilio tantum vel monita, & ob hoc nullius, aut non magni sit ponderis ipsorum professio? Nullius, aut non grauis culpa ipsorum præuaricatio? An certè quædam sint deputanda imperijs, quædam pro consilijs reputanda, quo partim ea liceat, partim non liceat, omnino prætergredi? Etsi hoc vltimum detur, distingui à me tunc demum certos ac propriè cuiusq; partis limites flagitatis, ne cui fortè per varias sui sensus opiniones licentius vagandi detur occasio, sicq; liquare culicem, & camelum glutire contingat, si nesciat quantum curæ vel operæ suæ quibusq; debeat obseruantijs. Hic est quantum recolo totus vestræ illius partitionis, sensus, etsi non verba. Quod autem subiungitis, & pergitis inquirere de obedientia, Quibus gradibus distinguatur? quibus claudatur limitibus, ad eamdem arbitror pertinere diuisionem, quippe quæ in decretis regularibus præcipua habetur; & puto cum ad illa satis responsum fuerit, de ista iam nil supererit quod ambigatur.

NOn est minoris ingenii bene difficultatem proponere, quam enodare. Feliciter propositam vides; omnia quæ possent inquiri recensentur; quia, cùm varia sint hominum ingenia, varia iudicia, varij etiam sunt scrupuli, qui suboriuntur, & oportuit omnibus obuiam iri, vt plures possent huius lectione Operis ædificari.

Benedictinam Regulam, si nondum admissa admitti & non admitti posse; reijci, si semel admissa non posse.

CAPVT II.

ITaque, vt sentio ego, Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli. Prodest, si deuotè suscipitur & tenetur; non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, volu ntarium à meritò dixerim, non necessarium. *Attamen hoc ipsum, quod*

dico voluntarium, *si quis ex propria voluntate semel admiserit* c *& promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse conuertit, nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Ideòque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam* D *tenebit; quia omninò necesse* B *est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari iam, aut iustificari. Cæterum* VV felix necessitas c *vt quidam Sanctorum* [nimirùm Augustinus Tom.II.Epist.XLV. ad Armentarium] *ait*, quæ in meliùs cogit,

---

A. Voluntarium & *Necessarium* opponuntur; nō enim omnimoda operandi necessitas, nempè illa, quæ non componitur cum indifferentia, componi potest cum libertate. Quid & quotuplex sit necessitas? Quid contingentia? Quid impossibilitas? Quid libertas exponitur *à num.* 54. An determinatio ad vnum cum libertate cohæreat, *à num.* 146.

B. Necesse hypotheticè, & disiunctiuè quando? cum opus est facere præcepto aut peccare: vnde ex suppositione quòd Deo seruire velis (vt velle supponeris) necessarium est quod voto satisfacias, impossibile quòd non satisfacias; voluntas enim seruiendi Deo & voti temeratio componi possunt. Vide *num.* 63.

53 Hic I. Merlonus Horstius in margine, *Vouere, inquit, est voluntatis, sed vota reddere necessitatis*, subintellige *hypothetica*, iuxta ea quæ num. 63. iam citato dicam.

C. Manuscripta multa non habent illud *&*.

D. Illud *iam*, quod legitur in libris impressis, conducit ad clariorem intelligentiam textus: sed in MSS. non reperio.

VV. Sæpe contingit eadem verba in diuersis Melliflui Doctoris exemplaribus diuersum ordinem habere. ideò hoc charactere VV. notaui omnia illa loca, in quibus stante sensu & verbis, ordo vocum est varius.

De necessitate, quæ obstringit Monachos Benedictina Regula.

VT mentem mei Authoris altè percalleas, præmittenda est *Necessitatis* definitio, diuisio subiungenda: alias enim Resolutionem, tametsi clarissimam non intelligeremus.

54 Necessarium id dicitur, *quod eo sensu, quo asseritur esse necessarium, excludit omnem possibilitatem ad non existendum.* opponitur contrariè, sed non contradictoriè, Impossibili, quod definitur esse talis ingenij, *vt eo sensu, quo asseritur impossibile, excludat omnem impossibilitatem ad existendum.*

54 Necessarium est duplex; videlicet in essendo, & in operando. Illud priùs *ab intrinseco habet, quod nequeat non esse*; hoc posterius *ab intrinseco habet, quod nequeat non operari.*

Necessitati existendi opponitur contradictoriè Contingentia, Libertas verò necessitati operandi. Res contingens dicitur *quæ positis omnibus prærequisitis ad essendum, adhuc ab extrinseco habet, quod possit non esse.* Libera, *quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, ab intrinseco habet quod possit non operari.* Candela extingui & non extingui potest, quia illam ego extinguere, & etiam possum non extinguere. *Extinguere* mihi liberum est, pendet enim ab intrinseca meæ voluntate; *extingui* est candelæ contingēs, pendet enim à mea voluntate,

tate, quæ non est intrinseca candelæ.

55 Necessariam est Hypotheticæ Necessitatis definitio, dantur enim aliquæ res non quidem absolutè, sed ex suppositione necessariæ. Igitur Rem absolute & Simpliciter necessariam dico, *quæ ante cuiuscumque alterius positionem, suppositionem, cognationem à se habet, quod non esse non posit*. Rem verò necessariam Hypotheticos, ad cuius existentiā prærequiritur rei alius existentia, est tamen talis ingenij, vt non possit componi eius non existentia cum existentia rei prærequisitæ.

Omnia hæc subtilia sunt, sed clariora euadent, si exemplis indubitatis illustrentur.

56 Deus est substantia necessaria in essendo, & constat ex tradita definitione. ipse enim dicitur *Ens à se*, quia à seipso habet quòd sit, & à se ipso quòd non esse non possit. Hæc necessitas essendi in Deo, est simpliciter & absolutè, non enim pendet ab aliqua suppositione, quia ante omnem mentis hypothesin, ante omnem conditionem creaturæ, Deus ita existit, vt non existere non possit. Si Diuinas processiones contempler, dicam Deum esse necessarium in operando: necessaria enim est Diuina Verbi generatio, necessaria Diuina Spiritus sancti processio. Si operationes, quæ ad extra sunt, speculer, liberum Deum profitebor, ipse enim ita creaturas amat, ita creat, vt & non amare & non creare possit. Tametsi summa sit in huiusmodi operationibus libertas, nulla est omninò contingentia; esset, si operationum illarum existentia non à Deo vitaliter, hoc est, ab intrinseco, sed ab extrinseco determinaretur.

57 Ignis est Ens contingens in essendo, non enim à se habet quòd existat, sed à libera Dei voluntate. Cæterùm ex suppositione quod sit, & sint omnia ad operandum prærequisita, nequit nō calefacere, & ideò dicitur in operando necessarius. Nec obstat, quod Deus possit negare suum concursum, huius enim concessio & præparatio est vnum ex prærequisitis.

58 Homo est Ens contingens in essendo; conditus enim est, qui potuit non condi, & qui potest adnihilari conseruatur. Operationes humanæ absolutè loquendo contingentes sunt; primò cōtingentia suppositi, secundò etiam propria. Possunt non esse, quia potest homo adnihilari, & non dantur operationes suppositi non existentis. Possunt etiam non elici & non esse, quia potest negare Deus concursum suum, sine quo ipsæ non essent. Cæterùm ex hypothesi quod homo existat, & Deus concursum suum requisitum non neget, homo in operando liber est, ita enim operatur, vt ab intrinseca sua perfectione habeat, quòd possit non operari.

59 His positis ad Regulam D. Benedicti veniamus, & videbimus clarè Mellifluas resolutiones nostri Authoris esse omninò easdem cum illis, quibus doctrinam mei Commentarij ante aliquot annos fundaui. Sit igitur.

60 Prima Conclusio. *Regula D. Benedicti non est necessaria in essendo, sed contingens*. Patet; quia ante D. Benedictum non fuit, & modò à Pontificibus liberè conseruatur. Si illam S. Pater non composuisset, non esset; nec hodie Magistram ageret, ni esset ab Ecclesia approbata.

61 Secunda Conclusio. *Nec est necessaria in operando*. Regulæ operatio, obligatio est: non enim aliud in nobis Regula, quàm obligationem operatur. Probatur, quia si esset in operando necessaria, vniuersos obstringeret, non secus ac Sol, qui necessario operatur, & ideò vniuersos illuminat, si desint omnia impedimenta.

62 Tertia Conclusio. *Liberum fuit D. Benedicto summo nostri Ordinis Legislatori condere vel non condere Regulam, contingens condita legibus nos obligare*. Prima pars Conclusionis est clara;

secun-

secundam expono & ostendo. Contingens illud est, cuius existentia & non-existentia ab aliena voluntate dependent; atqui hoc quod est Regulam, obligare, non dependet à D. Benedicti, aut alicuius ipsius Vicarij arbitrio, sed à suscipientium & profitentium voluntate: ergo hoc quod est Regulam obligare, contingens est eidem Regulæ, contingens ipsi Legislatori. contingens quibuscumque Vicarijs, Successoribusve; liberum verò legitimè suscipientibus & profitentibus. Consultò *legitimè* dixi, non enim est liberum profitenti obligari Regula non approbata, aut obligari approbata in ordine non approbato, aut ante tempus legitimum, aut inuitis confratribus: hæc enim & alia requiruntur, vt legitima professio dicatur. His igitur instructior & doctior audi D. Bernardum. *Itaque, vt sentio ego*, ait *Regula S. Benedicti omni homini proponitur* (ipsa enim nullum hominum aut genus aut conditionem excludit) *imponitur nulli* (non enim datur sub cœlo humana authoritas, quæ possit admissionem huius legis præcipere.) *Prodest, si deuotè suscipitur & tenetur: non tamen, si non suscipitur, obest.* (Ecce Regulæ admissio consulitur, sed non iubetur.) *Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium.* Verba sunt tanto Doctore digna; verba, conclusiones omnes nostras confirmant. Siquidem noster Author non-necessariam Regulam Benedictinam dicit, confirmat duas primas Conclusiones, cùm esse voluntariam suscipienti, non verò proponenti, tertiam. & tandem ostendit optimè, in Commentarij mei *num. 89.* defendi quod nemo teneretur moraliter obedire Regulæ, etiam ex hypothesi quod D. Benedictus habuisset voluntatem expressam præcipiendi, & declarasset singula grauiter obligare: ratio est, quod tota Regulæ nostræ obligatio non oritur à potestate proponentis, sed à libertate suscipientis, qui obstringi non potest contra, imò nec præter voluntatem.

Sed obijcis. Multa sunt in Regula, quæ non pendent ab acceptatione (talia sunt Cap. IV. præcepta de charitate, humilitate &c.) ergo non est contingens, quod illis obligemur aut non.

Respondeo distinguendo antecedēs, multa sunt quę quà humanitus præcepta non pendeant ab acceptatione, nego; multa sunt quæ quà præcepta diuinitùs, ab acceptatione non pendeant, concedo: idem enim præceptum quod diuinitus & humanitus præcipitur, non indiget acceptatione secundùm diuersas formalitates, iuxta ea quæ dicam Concl. V.

63 Quarta Conclusio. *Regula D. Benedicti est necessariò obligans ex suppositione.* Hoc non est huic legi peculiare; commune est omni contractui, omni voto, omni iurijurando. Liberum est cælibi non ducere vxorem; sed si semel duxerit, non est ipsi liberum à vinculo matrimonij explicari. Liberum est sub iuramento aliquid non promittere, necessarium verò est obligari ex suppositione quod promiseris. Vnde optimè D. Bernardus: *Hoc ipsum, quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate* (hoc est liberè, & non ex aliena voluntate contra propriam intentionem.) *semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum; profectò in necessarium sibi ipse conuertit.* Sed in qualiter necessarium? necessarium hypotheticè; quod probant subsequentia verba: ait enim, *Nec iam liberum habet dimittere, quod antè tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam tenebit; quia omnino necesse est eum reddere vota sua quæ distinxerunt labia sua.* Consonat Bernardus eidem Benedictinæ Regulę, in cuius Capite 58: *Si habita secum deliberatione* [nota illud *secum*, non enim actus liber verè ille dicitur, qui à deliberatione aliena & non à propria pendet.] *promiserit se omnia custo-*

custodire (nempe; eo modo, quo promiserit) *& cuncta sibi imperata* (fortè; *si imperata,*) *seruare; tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege Regulæ constitutum quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere sub iugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere.*

Benedictinam Regulam necessariam ex hypothesi diximus, sed sunt tres huiusmodi necessarij species, quas Cap. v. explicando dilucidabo hanc quartam Conclusionem.

Examinauit, An Regula Benedictina obligaret? imò Cur obligaret? progreditur Mellifluus Doctor, & qualiter ipsa obliget professos exponit.

64 Quinta Conclusio. *Charitas, Humilitas, Castitas, & reliquæ virtutes quas commendat Benedictina Regula, à Regula & à Decalogo præcipiuntur; quæ præceptæ à Deo obligant vt reliquæ sanctiones Decalogi; quæ præceptæ à Regula, vt reliquæ operationes Regulares: quæ præcepta diuinitus non indigent acceptatione, indigent quæ præcepta humanitus. Si contingeret quod in similibus dispensaret Abbas tolleret præceptum humanum, sed illæsum relinqueret diuinum.* Hæc Conclusio fundat Resolutionem habitam in Commentarij num. 87. Si in eisdem dispensaret Deus, manere adhuc posset sanctio & obligatio regularis. Huic veritati lucem afferet abstinentia à carnibus diebus veneris; præcepta à Regula & ab Ecclesia est, & tamen die Natalis Domini, ecclesiastica lex tollitur, & regularis perseuerat. [apud nos tamen priuilegijs aliquibus modificata.

65 Sexta Conclusio. *Nihil est in tota Regula, quod ex vi regulæ moraliter aut pœnaliter obliget ante Abbatis ordinarij præceptum:* consultò dixi *ex vi regulæ*, quia vt Conclusione V. docebamur, possumus ad eandem actionem lege Diuina teneri moraliter, & humana merè pœnaliter; vel illa teneri actu, hæc potentia; *Cæterum, si iam professis aliqua accedente Abbatis imperio in præcepta vertantur, præuaricantibus in crimina fient.* Has duas vltimas Conclusiones delucidat Resolutio Bernardi Cap. 3. *Omnia proinde S. Benedicti Instituta, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus; verbi causa, Charitate, Humilitate, Mansuetudine; quæ non eum ipsum constat instituisse, quam Deum;* [Ecce Concl. 5.] *de cætero reliqua vniuersa non-profitentibus quidem monita tantum seu consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata* [iuxta ea, quæ Concl. 1. 2. 3.] *cum tamen profitentibus in præcepta* (puta, *vertuntur*) *præuaricantibus in crimina fiant*, & hoc secundum Conclusionem 6. quam in mei Commentarij disp. 7. art. 3. expendo, & varijs D. Bernardi testimonijs confirmo. Nunc autem breuiter & efficaciter. Monachi Benedictini obligatio non nascitur ex potestate proponentis Regulam, sed ex voluntate vouentis. Monachus ergo ad id solùm tenetur quod vouit, non ad id quod non vouit. ergo si vouisset obedire Regulæ; teneretur Regulæ obedire. ergo si non vouerit, non tenebitur. Atqui non promisit obedire Regulæ, sed Prælato præcipienti secundum Regulam: ergo ad illud tenetur quod promisit, non verò ad id quod non promisit. Aut insipiens sum, aut ista me docuit Bernardus Capite 9. huius libri, cum inquit: *Is qui profitetur* (nimirum, in Ordine Benedictino) *spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam* [nota benè] *sed determinatè secundum Regulam, nec aliam quàm S. Benedicti: vt oporteat eum, qui præest, non frena suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram, & sic demum sua imperia moderari circa id solùm quod rectum esse constituerit, nec quodlibet rectum, sed hoc tantùm quod prædictus Pater instituit.* Et probat fortissima, eadem tamen ratione, qua paulò antè vtebamur: videlicet. *Sic se quippe habet professio. Promitto, non quidam Regulam, sed obedientiam secundum Regulam*

gulam S. Benedicti. Non ergo secundum voluntatem Præpositi. Ecce Mellifluus Doctor distinguit inter hoc quod est *promittere obedientiam Regulæ, & promittere obedientiam Prælato secundum Regulam.* Sed & infert ex dictis; *Proinde si professo secundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum Regulam, aut etiam quod non sit secundum istam (instituta verbi causa Basilij, Augustini, Pacomij) quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi?* Respondet prudentissimè, *Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi.* Igitur D. Bernardo non est idem promittere Regulam, ac promittere Abbati obedientiam secundum Regulam; atqui qui promitteret Regulam, teneretur illam seruare ante Superioris præceptum, vt hodie contingit Franciscanis respectu suæ, ergo qui non promisit illam, non tenebitur, sed satisfaciet abundanter, si fecerit quod Deo promisit, teste autem D. Bernardo & professionis formula clarè id probante, non promisimus Regulam, sed obedire Ordinario Antistiti secundum Regulam. Sunt, qui aliter sentiant; sed ab ipsis vellem doceri *primò,* An iudicent probabile hanc non esse Mellifluі Doctoris sententiam; quia si hoc iudicant, merum meridiem esse noctem poterunt doctrinæ consequentia asserere; nos enim non interpretamur Bernardum, sed verba ipsius vt iacent adsumimus, & eius probationibus vtimur, vt ne verbo quidem alterato nos instruant, & erudiant lectores. *Secundò.* si semel concesserint, id quod probabiliter negare non poterunt, hanc esse sententiam Bernardi, peto, An audeant profiteri, D. Bernardum nimis laxum fuisse, & docuisse sententias improbabiles; & tandem excessisse vita ante quàm intelligeret pondus & grauitatem obligationis Regularis. Et *tertiò.* si antagonistæ tales sint, vt Bernardum errasse non vereantur asserere, vellem videre qui respondere possint rationi illi ex formula solemnis professionis desumptæ, qua vtitur ipsemet Bernardus, nam prudentum iudicio est euidens & demonstratiua.

De arbitrij indifferentia.

66 Inter Romano-Catholicos & Caluinianos implicatissima Controuersia est, quæ examinat, An arbitrij libertas opponatur coactioni, an etiam necessitati? hoc est, An possit dici liberũ agens determinatum ad vnum, quod omittere nequeat, modò illud non coactè sed sponte & voluntariò faciat. Placuit Caluino pars asserens; ipsi est vera hæc positio, *Quod voluntariò, hoc est à voluntate fit tametsi necessariò fiat, liberè fit.* item hæc, *Sola violentia repugnat hominis voluntati naturali.* vtramque etiam admiserat Bayus, sed reuocauit Ecclesia Romana præcipiente; vtraque enim à Pio V. vtraque à Gregorio XIII. condemnatur.

Voluerat illas olim Caluinus ex Augustini doctrina educere, sed frustra; positiones enim istis contradictorias semper defendit & docuit S. Pater. Voluit illas etiam meo Mellifluo Præceptori imponere, sed irrito conatu, nam ipse tam clarè eas proscribit, vt nequeat in Caluini partes retorqueri. Clare Bernardus suam sententiam exposuit libro de gratia & arbitrio, clarè Sermone 81. in Cantica, & sæpe alibi. Legi hic sermo poterit, & Ethesium concordia examinari; nunc autem breuitati studens illas solùm periodos colligam, quæ in hoc libro substruunt veram doctrinam de arbitrij voluntate. Sit igitur Bernardi

68 Conclusio. *Homo eo tempore & sensu quo caret indifferentia arbitrij & est necessitatus ad vnum, eo ipso caret arbitrij libertate.* Est expressa D. Bernardi huius Operis cap. 9. vbi, *Videtis,* inquit, *quantum necessitati tribuitur, subtrahitur voluntati,* sed cur? ipse in libello de gratia &

tia & arbitrio respondeat; *et quòd voluntarium necessario contrarium esse videatur*. Et ratio est; quia sicut libertas, & non-libertas, sic libertas & necessitas opponuntur. Actus liber, definitur vitalis elicitus cum indifferentia; quia vitalis, omnem coactionem & violentiam præscribit; quia formaliter indifferens, omnem necessitatem. Hic in hoc secundo Capite Bernardus. *Quod in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim non necessarium*. Ecce Voluntarium Necessario opponit; Ecce docet non esse voluntarium, quod dependet à sola proponentis potestate. Sed nota verba subsequentia, *Hoc ipsum* inquit, *quod Voluntarium, si quis ex propria voluntate* (hoc est, non prædeterminatus à sola aliena voluntate) *semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse conuertit*; sed cur? quia *nec iam habet liberum dimittere, quod antè tamen non suscipere liberum habuit*. Ergo asserente Bernardo, necessariò habetur, quod nequit dimitti; liberè suscipitur, quod suscipitur quidem, ita tamen vt non suscipi possit. Ergo indifferēti, acui repugnat necessitas, quidditatiuè imbibitur in conceptu humanæ libertatis. Vnde & S. Doctor progreditur; *Ideòque, quod ex voluntate suscepit* (hoc est, ita suscepit, vt & potuerit non suscipere) *ex necessitate iam tenebit* (hoc est, dimittere non poterit) *quia omninò necesse est eum reddere vota sua* (hoc est, *eum habere obligationem reddendi vota*) *quæ distinxerunt labia sua*. Et sub finem eiusdem Capitis *illis voluntaria vel facticia, istis necessaria & tanquam naturalia non immeritò reputantur*. Ergo actiones, quæ ab intrinseco & à natura sunt ad vnum determinatæ, naturales, non verò liberæ & voluntariæ dicendæ sunt.

69 Sed obijcis: Teste Bernardo & Augustino Necessitas compatitur cum libertate. Assumptum probas, quoniam in hoc eodem Capite Sanctus Bernardus ait; *Cæterùm; fœlix (vt quidam sanctorum ait) necessitas, quæ cogit meliùs*. vbi Sanctus, qui à Bernardo citatur est D. Augustinus.

Respondeo verba Augustini & grandia & vera, debereque ita intelligi, vt à nostro Doctore exponuntur; non enim Religiosus necessariò satisfacit Regulæ, eam enim temerare potest, sed necessariò subijcitur Regulæ, cuius iugum excutere non potest. Et hæc est, necessitas quæ cogit in melius, quia vt cum Doctore Angelico Theologi vniuersi sentimus, voto & iuramento, quorum semel liberè emissorum obligatio necessariò remanet, firmatur in bono voluntas, & vel inuita cogitur in melius. Quod vt clariùs appareat, audi loquentem: *Equidem, dicat aliquis, si non emisissem olim vota, non emitterem; sed quia emisi, excutere iugum non potero; volo ex necessitate facere virtutem, volo stare promissis, & voto satisfacere*. An non clamaret Augustinus, si hunc audiret, *O fœlix necessitas, quæ cogit in melius?* sed cur cogit potiùs, quàm necessitas? quia præterita votorum emissio tam necessariam infert satisfaciendi obligationem, vt debeat manere homine vel inuito.

Benignissima, eaque omninò vera nostri Authoris Conclusio.

CAPVT III.

OMnia proinde S. Benedicti Instituta exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi causa charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam A *ipsum, quam Deum* VV *constat instituisse, & ob hoc penitùs non esse mutanda; de cætero reliqua vniuersa non profitentibus quidem* B *monita tantum seu* B *consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata, cùm tamen profitentibus* C *in* B *præcepta, præuaricantibus in crimina fiant; siue vt vestra vobis reddam, illis voluntaria vel factitia,* E *istis necessaria & tanquam naturalia non immeritò reputantur. Ita sanè necessaria dixerim, vt ex eis minimè præiudicetur necessarijs* D *rationabilibusque dispensationibus.*

A. NOn tam ipsum.] ergo præcepta de virtutibus supernaturalibus, non Deus vnus sed etiam Benedictus tulit; sed teste nostro Authore non tam Benedictus, quàm Deus. *Vide num.*86.

B. Præcepti, Moniti, & Consilij discrimen expendi superiùs proprio loco, nimirùm à num.30.

C. Profitentibus] *Cum tamen profitentibus in pręcepta*, dicitur, & deficit verbum, quod subintelligi debet è proximo. Præcesserant *Censeor*, *Grauo*, sequitur *Fio*: ergo integer sensus erit, *Cum tamen profitentibus censentur, grauantur, aut fiunt in præcepta, pręuaricantibus in crimina fiant*. Quid si illud *In* sit *Si* Amanuensium errore? esset idem sed clarior sensus; nimirum, *Profitentibus si pręcepta, pręuaricantibus crimina fiant*, sed huic lectioni non fauent MSS.

D. Merlonus Horstius in margine, *Instituta S. Benedicti alijs voluntaria, alij necessaria*, sed intellige de necessitate hypothetica iuxta ea, quæ expendi *num.* 63. Ibi de Dispensationibus D. Bernardus, & ego *à num.*71.

E. Fatitia] Sic habent mea MSS. editio noua Coloniensis *fictitia*. sed mendosè.

VV. Ordo dictionum varius.

Quinam possint in Regula Benedictina dispensare.

CAPVT IV.

71 SEd *non omnibus in huiusmodi credita est dispensatio, nisi his dumtaxat, qui cum Apostolo* [1. Corinth. 4.] dicere possint: A Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. *Nouit autem*

tem fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ibi tantùm vsurpare dispensationem, vnde bonam possit habere recompensationem. Hoc quippe quaritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et eadem B *fortasse fidelitas à subditis nihilominùs exigitur in obtemperando, quæ à præpositis in dispensando.*

A. MAnuscripta habeant, *dicere possint*, & Exemplaria impressa, *dicere possunt*.

B. Eadem] videlicet æqualis, eiusdem speciei, & perfectionis.

Multa sunt in Regula Benedictina, quæ luce egent, sed dispensationum argumentum in primis; multi enim Superiores monasticam disciplinam iniustè remittendo, non condescendunt, sed cadunt cum subditis; alij aut intendendo iniustè, aut indiscretè conseruando videntur non tam Superiores quam tortores. Sanè aut nullibi, aut hic summa prudentia opus, summa consideratione & vigilantia: proderit fideli Dei Ministro, veritatis studioso Prælato perlegere Asserta subsequentia.

De dispensatione regulari.

72 DIxerat Capite 2. Bernardus Regulam D. Benedicti esse necessariam professis, hoc est, non esse liberum Monachis excutere iugum semel admissum, tametsi potuerint non admittere. Modò autem Capite 3. ostendit non esse eam simpliciter necessariã, sed solùm ex suppositione. nimirùm ex hypothesi quod non militet vel leuiter contra charitatem, *Ita sanè necessaria dixerim*, ait, *vt ex eis* (nempe,) *quæ statui*) *minimè præiudicetur necessarijs rationabilibusque dispensationibus*. Ergo circa materiam expresè præscriptam in Regula potest concedi dispensatio. restant tamen examinandæ variæ difficultates incidentes: videlicet, A quibus, quando, & quam ob causam possit talis dispensatio concedi?

In Commentarij mei in Regulam Benedictinam disputatione 115. egi de dispensationibus, quæ in Officio canonico concedi solent, de reliquis pariformiter philosophatus.

73 Primò occurrit Dubium de Persona, quæ possit in lege lata dispensare. Omitto authoritatem Dei, de cuius infinito dominio capit. 6. & 7. vberiùs disputabitur; agam de Humana; & inquiro, An liceat vnicuique hominum concedere dispensationem? Respondet in hoc cap. 4. Bernardus, *Non omnibus in huiusmodi credita est dispensatio; nisi his dumtaxat, qui cum Apostolis dicere possunt*. [1. Corinth. 4.] *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Dispensandi igitur ius est pænes Superiores.

74 Secundò Dubium occurrit de Materia; An videlicet nulla sit lex in qua non possit Abbas dispensare? Solidè Bernardus satisfacit. *Prælatis verò*, inquit, *partim voluntaria* (hoc est, *dispensabilis*) *vt quæ inuenta ab homine; partim necessaria* (hoc est, *indispensabilis*) *vt quæ fuerit diuinitus instituta*. Ergo nec in Decalogi præceptis, nec in Sacramentorum materia, nec in alijs articulis Diuina authoritate sanctis, potest Prælatus dispensare; potest in præceptis Ecclesiæ ex fauore Pontificis; & ex præscripto Regulæ potest in obseruantijs Regularibus; non tamen pro voluntate, sed pro prudentia, vt statim videbimus; inualida enim esset dispensatio, quæ contra

Pentalogum Ecclesiæ aut Benedictinam Regulam concederetur sine causa. Ideòque occurrit.

75 Tertiò Dubium intricatissimum de grauitate causæ ad dispensationem requisitæ, *Suppono* cum omnibus Viris prudentibus, aliud esse prodigere, & aliud dispensare & expendere. Dispensat, qui expendit vtilia; qui verò dilapidat; thesauros commissos, hoc est, qui inutiliter impendit, est prodigus. Audi ergo cap. 4. accinentem Bernardum; *Nouit autem fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantùm vsurpare dispensationem, vnde bonam possit habere recompensationem*. Subsumo; Atqui bona recompensatio haberi non potest ex actibus malis, imò nec ex indifferentibus ergo non est concedenda dispensatio ex motiuo malo, aut indifferente, sed ex bono. Sed hac hypothesi præmissa inquiro *primò*, An quodlibet motiuum bonum sufficiat, vt Prælatus dispenset? *secundò*, Quanta debeat esse bonitas, quæ intenditur à Dispensatore? hoc est, Vtrùm Prælatus possit dispensare, si detur causa, ipsa tamen sit leuis?

Vt resolutioni mentem prepares adnotato, Bonum esse duplex, obligatorium, vel vt Bernardi verbis vtar, necessarium & liberum. Illud est ad quod tenemur ex præcepto, hoc ad quod consilio. Prioris generis est totus Decalogus, secundi communia moralium exercitia virtutum, vt dare eleemosynam in mediocribus necessitatibus. Adnotato etiam bono malum opponi, & ideò duplex malum reperiri, aliud culpę & aliud incõmoditatis; illud contra præceptum Superioris militat, hoc contra quietem & solamen. His positis sit.

76 Conclusio I. *In Præceptis Decalogi nullus Homo potest dispensare, etiam prætextu cuiuscumque boni*, Ratio est; quia non sunt facienda mala, vt bona eueniant; violare autem Decalogum sine dispensatione malum est, nec est probabile Deum concessisse Abbatibus talem authoritatem. Hæc Conclusio militat contra *Illuminatos* (Hæretici sunt, qui à paucis annis inceperunt grassari in Bæticis Prouinciis Hispaniç) asserentes se non teneri ad secundæ tabulç obseruantiam, quòd dispensationem obtinuissent.

77 Conclusio II. *Non potest sine iniuria Pontificis & Ecclesiæ Romanæ asseri, posse Abbatem dispẽsare in aliquo præcepto Ecclesiæ cum militat contra Decalogum*, Ratio est; quia non dantur præcepta Ecclesiæ, quæ militent contra Decalogum. Et hoc, quia nec Ecclesia vult, nec potest talia præcepta imponere. Quòd non possit, constat clarissimè; quia, vt assumebatur Concl. 1. præcepta naturæ sunt humanitùs indispensabilia. Quod non velit, etiam constat; quia non est credenda Ecclesia iubere, quòd Deo præcipienti & dispensationem non concedenti non obediant Christiani: imò si per impossibile iuberet præceptum illud Ecclesiæ nullum esset, adeòque non posset dici contra legem Dei militare; nam vt concedatur oppositio debent dari extrema, quæ opponantur, & vbi non est præceptum, non potest esse præceptum Deo oppositum; sicut vbi homo non est, non erit homo aduersarius, nec contra militat communis modus loquendi, nam vel vulgus indoctè loquitur, aut interpretari poterit de lege & oppositione materiali.

78. Conclusio III. *Quicumque certò & euidenter sciat se violaturum necessariò vnum articulum legis Diuinæ, faciendo id quod videtur præcipi legi humanæ, (puta, lege Regulæ Benedictinæ) debet non facere*. Patet ex præcedenti. Homines enim habent authoritatem ad ædificationem, non verò ad destructionem: destruerent tamen, si possent moraliter præcipere contra Decalogum; homo enim, cui furtum humanitus & validè præciperetur, esset necessariò peccaturus? contra Deum, si furaretur; contra

tra legem moralem humanam, si non furaretur.

79 Hinc pro ægrotorum instructione oritur Corollarium; *si constet certò & euidenter abstinentiam à carnibus, Canonici Officij lectionem, vel aliam quamcumque actionem alias Ecclesiastico aut Seculari iure præceptam, graue damnum illaturam esse, teneris eam actionem non facere.* Ita in mei Commentarij num. 1429. num. 1. Sed aduertendum est, me nomine *grauis damni* illud intelligere quod sine peccato veniali aut mortali sibi homo infligere non potest, & probatur; quia alias Ecclesia aut Imperium diceretur habere authoritatem præcipiendi peccata mortalia aut venialia; cùm certum sit nec illam nec hoc posse vel leue mendacium præcipere, tametsi inter venialia leuissimum esse videatur.

80 Vtrùm in tali casu dispensatio peti debeat, inquiris; & respondeo negatiuè. Quia dispensatio petitur de præcepto quo obstringimur; atqui in tali casu nullo humano præcepto obstringimur: ergo superflua esset illa dispensationis impetratio. Minorem probo: quia non datur humana authoritas, quę validè præcipiat, quod sine peccato fieri nequit.

81 Vtrùm saltem in eodem casu dispẽsatio peti possit, examinas; & ego negatiuè respondeo. Quia sine Ecclesiæ aut Imperij iniuria talis dispensatio peti non potest. Vel dicito, quia ita ægrè laboras, aut sis moriturus, si Officium Canonicum legas, cum petis dispensationem ab obligatione legendi Officij, an non supponis dari talem obligationem? Ergo tibi tenor legis Ecclesiasticæ est hic, *Omnes ad ordines promoti legant horas canonicas licet certò sciant ex lectione illa euidens mortis discrimen incursuros esse.* Patet, quia alias obligatio illa, quæ pręsumitur, stare non potest. Quis ergo non videat, esse tyrannicam Sanctionem, quæ sub mortis periculum euidens obligaret? si talia & taliter Ecclesia præcipere, cur *Mater* deberet appellari? an non digniùs *Nouerca* vocaretur? Iniurius igitur Ecclesię es, qui illam pręcepisse contendis illa, quæ nec ipsa sine tyrannide præcipere, nec tu sine vitæ iactura exequi potes.

82 Dices: debere in tali casu dispensationem saltem peti, vt scandalum tollatur; posset enim Superior, possent scandalizari proximi, si viderent præcepta ab Ecclesia aut Republica imposita sine dispensatione intermitti.

Respondeo hanc instantiam non militare contra actus secretos; his enim scandalizari nemo potest. Addo non iri obuiam scandalo solicitando dispensationem, sed necessitatis euidentiam quã habere supponitur, exponendo: ęgrotus enim, qui carnibus vescitur, quia scit certò se aliter periturum esse, tenetur, non quidem petere dispensationẽ, sed necessitatem suam exponere, ne pusilli causentur. in tali enim casu deberet carnes comedere licèt dispensatio negaretur. Sed fortè non datur morbus, in quo carnes sint certò & euidenter necessarię, vt statim videbimus.

83 Conclusio IV. *Qui dubitat, an violaturus sit aliquem Diuinę legis articulum faciendo id quod videtur pręcipi à Regula Benedictina, aut alia lege humana, debet prudentiores consulere; sed si post sufficientem consultationem* (sufficiens est, quæ fit, pro vt tempus & opportunitas rerum permittit) *adhuc maneat dubium,* (puta si consulti respondeant dubitando; quia si respondeant asserendo aut negando tollunt dubiũ) *debet non facere.* Patet, quia in dubijs potioris pars potior est; Diuina autem lex cum Humanis collata semper est potior. Iterùm, in dubio, beatus, qui possidet: ergo standum est pro possessione, quæ erat ante dubium: Atqui ante humanã legem dubiam est lex diuina & naturalis cum hominibus nata & indispensabilis authoritatis, ergo in omni dubio standum est pro lege Diuina. Ita Bonacina &c

cina & Diana, quos cito & sequor Commentarij *num.* 1429. [Pono dubium non afficere legem ipsam diuinam.]

Siquidem in tali casu debet quis omittere, quod putat humanitùs præcipi ne se exponat periculo violandi Decalogũ, superflua esset quæcumque dispensatio; non enim prudenter peteretur licentia omittendi homicidia, & in tali casu illa actio omitti debere supponitur. Subscribo Filliucio, Villalobos, & Suario Commentarij *num.* 1430. citatis.

84 Subinfers. Ergo inutile est Priuilegium concessum Abbatibus circa dispensationem in præceptis Ecclesię; puta, ieiunandi, abstinendi, legendi, & similibus. Negaui consequentiam, & vim talis Priuilegij Commentarij loco nuper adlegato explicaui.

85 Conclusio 5. *Qui probabiliter putat se violatum esse legem Dei faciendo quod lege humana indicitur, poterit alterutrum facere*, hoc est, *obedire & non obedire*. Patet; quia stare non potest quod vna contradictionis pars sit probabilis & altera improbabilis; ergo si in tali quòd non casu est probabile quòd actio humanitùs præcepta legi Diuinę opponitur, etiam erit probabile opponitur: cumque quemcumque probabilis sententia sit secura in conscientia, alterutri poterit subscribi.

86 Debet limitari hęc conclusio, Illi enim, qui promiserunt obedire in omni materia quæ non sit videnter peccatum, tenebuntur rem præceptam omittere, cùm euidenter sciunt peccaminosam esse; sed tenebuntur facere, cum videatur probabiliter mala; Tenentur enim subscribere superioris sententię in materia probabili ex vi voti aut iuramẽti præstiti. Sanè si subditi talem obedientiam permitterent, Prælatorum authoritas absolutissima ex natura sua, & non-nunquam per accidens (si contingeret promoueri imprudentes) etiam dissolutissima esset; sunt enim homines illi, qui pręsunt, & sępe præstat eos etiã habere terminos actiuitatis. Antistites Benedictini non possunt suis subditis pręcipere, quę volunt, tametsi bona videantur; hi enim non promiserunt obedientiam omnimodam, sed limitatam ad articulos Regulę. Superiori iubenti obseruari aliquid contentum in Regula, aut saltem quod sit secundum Regulam, tenetur obedire Benedictinus religiosus, vt ostendit Bernardus hic cap. 9. & ego ex eo.

87 Hinc patet debere non obediri legi Abbatis, tametsi regularia (hoc est in Regula contenta) pręcipiat, imò nec debere obediri Pontificię, quotiescumque ex ea nasceretur *primò*, contemptus Dei, Fidei, & Religionis; *secundò*, voti aut iuris-iurandi temeratio; *tertiò*, profanatio fructum, *quartò*, superiorum irreuerentia; *quintò*, mortis tuę aut alterius innocentis periculum; *sextò*, castitatis iactura; *septimò*, fidelitatis & veracitatis violatio; *octauò*, bonorum temporalium dilapidatio; aut *tandem* seruitus illa misera, quę subdit internas hominis passiones & dœmoni & concupiscentię &c.

88 Videris, qui Diuinę leges humanis etiam Pontificijs præferantur, melius enim est obedire Deo quam hominibus; sic etiam melius Pontifici quam Abbati, Abbati quam Priori, superiori quàm subdito.

De legibus humanis quæ militant contra commoditatem.

89 LEx humana, quę conscientię & Deo opponitur valida non est, & siquidem valida non est, lex non est; & quia lex non est, est incapax dispensationis. Sunt alię leges, quę solent mutatis circumstantijs opponi subditi commoditati.

90 Hanc in tria membra subdiuido. Datur enim incommoditas summa grauis, &

uis, & leuis. Leuis videtur omnes humanas actiones, etiam recreatiuas transcendere; nulla enim in hac lachrymarum valle, quæ careat incommoditatibus. Grauis rarior est, sed tamen nonnunqnam reperitur. Summa eadem, quę nimia & intolerabilis tanta quanta stando communibus hominum viribus moraliter tolerari non possit. Hanc videbatur pati Iobus cum dixit, *Tedet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum*. Hanc Elias, hanc Ionas, hanc alij, qui à Deo vt morerentur postularunt, hãc Moyses se pati insinuauit cùm hyperbolicè loquendo dixit, *Aut ignoscas populo, aut dele mè de libro vitæ*. hoc est, ita tristor & angor cùm video populum tuum periclitari vt mallem inferni pœnas pati, si charitate illæsa possem, quàm te videre iratum. Hanc etiam Abaylardus in suarum calamitatum histor. cap. 10. hanc etiam meus Bernardus, cùm Epistola ad Innocentium dicebat cum Propheta [3. Reg. 16. 2.] *sufficit mihi Domine: tolle animam meã, neque enim melior sum quàm Patres mei*. Hanc tandem nos ipsi quoties puro terrestrium rerum tædio malumus mori, quàm tales miserias, aut talem confusionem pati. His positis sit.

91 Assertum I. *Nulla lex humana, nullum votum aut iuramentum obligat ad agendum vitam grauissimè tadiosam & moraliter impossibilem*. Hæc veritas in causa vt liceat Religiosis summè afflictis quærere locum vbi pacificè & quietè possint seruire Deo, cùm talibus sunt miserijs & persecutionibus expositi, vt malent mori, quàm sustinere; nempe cùm explorata fragilitate sua moraliter sustinere non possunt. Non dedit Deus authoritatem Superiori, qua torqueret & confunderet subditos; non præfecit Ecclesiæ tortores, sed pastores. Prælati autem, qui subditos ad extremas angustias reducerent, authoritate concessa diuinitùs, abuterentur. Addidi nec vota, nec iuramenta, in tali casu obstringere, essent enim imprudentia si plena deliberatione fierent, & quę prudenter facta postea per accidens cū talibus miserijs coniunguntur, sunt emissa a viris qui eas non præuiderunt, adeòque non voluerunt sese ad tantas difficultates obligare.

92 Ægroti passiones habent quæ animum procellosè perturbant, & consilia magis proficua impediunt; à multis *Nimietates* vocantur; sed qualescumque sint, non pendent à patientis arbitrio. Sæpe tanto carnium tædio afficimur, vt malimus graues potius sustinere dolores, quàm nomina ciborum audire. Sæpe, ne quatuor verba diceremus, sustineremus febris ardorem multis horis. Sæpe alijs miserijs afflicti nostri ipsius corporis tædium habemus. Sanè in tali casu cessant humanæ leges quarum obseruantia ęgros ad extremam afflictionem adigeret. Si dentur duo ciborum genera, quę ęquè conueniant ęgro, si alterum abhorreat, non debebit cogi illo vti pręcepti Ecclesiastici pretextu. Qui cum nimia difficultate vocem articulat, non est censendus ad officium Diuinum obligari, Ecclesiæ enim Romanæ subsumus, non nouercæ sed matri. Nec est credibile, aut Deum dedisse hominibus tantam authoritatem, aut pientissimos Viros (tales pręsumendi sunt summi Pontifices) etiam si possent, voluisse ęgrotos affligere in extremas angustias & pericula pręcipitando.

93 Confirmatur ex natura & definitione legis, quam vt valida sit, moraliter possibilem, vtilem, & facilem debere esse vniuersi Doctores, tam Theologi, quam Iuris-periti, vnanimi consensu affirmant: leges autem, si ęgrotis taliter constitutis imponerentur, fortè essent physicè possibiles, at moraliter possibiles non essent, non essent faciles quæ supponuntur esse summè difficiles; adeòque non modò inutiles, sed & nociuę.

94 Tametsi vniuersalis sit hæc doctrina,

na, clarior euadet, si agatur de Regula Benedictina. Stylum Legislator Summa prudentia temperauit. Neminem summo labore opprimi; eos qui leuibus curis implicantur, in alijs ministerijs impendit; & solatia (sic socios nominat) illis qui grauantur, indulget. Lego in Prologo, *Constituenda est ergo à nobis Dominici schola seruitij, in quâ nihil asperum, nihilq; graue nos instituturos speramus*: & in sequentibus omnem laborem iubet prudentia temperari, ita vt nemo aut relaxetur nimiùm, aut nimiù coarctetur.

95 Assertum II. *Præcepto humano possumus obstringi ad eliciendas actiones grauiter-molestas*. Patet; quia præter illud extremum tædium, quod aliquando est ipsamet ingratius morte, & desperationi simillimum, quodque proscribi à quacumque Republica bene gubernata opus est, nulla molestia tametsi graui à legibus humanis excusare dicenda est. Consono Comentarij numero 1432.

96 Assertum III. *Aegroto, qui scit euidenter aut saltem probabiliter, se sine graui molestia legi humanæ satisfacere non posse conceditur validè dispensatio*. Probatur. Quia aliàs dispensatio esset titulus sine re, & vox significationis expers. Benedictinę Regulæ statuta *Necessaria* vocauerat D. Bernardus, & ait, *Ita sane necessaria dixerim, vt ex eis minimè præjudicetur necessarijs rationalibus dispensationibus*. Igitur verùm est dari aliquando legum dispensationes: ergo & legum obligatoriarum, quia non obligatoriæ, verę leges non sunt, nec indigent dispensatione. Si dantur tales dispensationes, aliquando debent habere locum. Atqui non habent locum in lege humana, quæ certò & euidenter, vel quæ probabiliter, vel quæ dubiè militat contra Decalogum, vt constat ex dictis Concl. 1. 2. 3. 4. 5. Non habent locum in lege humana, quæ te exponeret iacturæ conscientiæ, vitæ, aut diuitiarum, quam aliàs sine peccato pati non posses; Non habent locum in lege inferioris, si opponatur decreto Superioris; punita in lege Abbatis, si opponatur Diuinę aut Pontificię; non habet locum cùm obligat lex ad agendam vitam moraliter impossibilem; & tamen alicubi habet locum: ergo in casu præsenti.

97 Dices, habere locum in probabilitate; nimirum cùm certum est Superiorem habere legitimam authoritatem, & materia probabiliter licita præcipitur: tunc enim Doctissimi viri existimát subditum teneri ad obedientiam, & Superiorem validè posse dispensare.

98 Sed hæc instantia cum probabilitatem authoritas à probabilitate materiæ distinguit, improbabilia inuoluit; certius enim est, quod non possum in conscientia violare Decalogum, quàm quod teneor in conscientia obedire hominibus, tametsi sit vtrumq; certum; nam hoc vltimum negant aliqui, illud nulli. Sed non progrediar vlteriùs, hoc enim radicitus in libro *de Conscientia* examino; audio Ioannem Sanchez in Selectis dicentem se priùs iturum ad cælum quàm oppositæ sententiæ defensores intelligat; ego quidem nec me nec se illos intelligere puto: nam cùm est mera probabilitas, est iudicij libertas. Semper tamen volo intelligi limitationem illam, quam subscripsi quintæ Conclusioni. *num.* 86.

De dubijs ægrotorum.

99 PRo laborantium instructione & solamine volo secundo calamo hanc materiam resumere, sunt enim multa dubia, quæ occurrunt viro afflicto, etiam docto, quibus animus est præparandus. Verbi gratia. In comestione carnium, horarum lectione, &c. posses dubitare *Primò*, An liceat ægroto comedere carnes; omittere officium canonicú, violare ieiunia ecclesiastica, &c. *secundò*, An teneatur? *tertiò*, Quanta debeat esse morbi grauitas, vt carnes possit co-

ſit comedere? quanta vt teneatur? *quartò*, An ſemper teneatur, cùm poteſt. *quintò*, poſito quòd ſciatur quanta morbi grauitas requiratur, dubitare adhuc poſſes, An morbum habeas ità grauem? *ſextò*, An timeas vitæ damnum, an ſaporis moleſtiam? *ſeptimò*, An tædium, quo erga piſces, officium &c. afficeris, ſit moraliter intolerabile? an potiùs ſit graue ſolummodò? an fortè ſit leue? *octauò*, An detur cauſa ſufficiens ad diſpenſationem impetrandam? Hic eſt ſecundus morbus, qui priorem armat, vt grauiùs torqueat homines periculosè laborantes, præcipuè ſi ſint conſcientiæ teneræ, honeſtæque conuerſationis. Opus eſt igitur alexipharmaca contra huiuſmodi conſcientiæ morſus præparare: præparare inquam, faciliùs enim ab ſcrupulis præſeruaberis quā liberaris.

100 Vt reſpondeam ſuppono nemini licere comedere id quod euidenter inferet mortem; id verò quod probabiliter mortiferum eſt, poſſe comedi & poſſe non comedi, liberum enim eſt ſequi alterutram partem probabilitatis. Hac doctrina præmiſſa reſoluo teneri ægrum comedere carnes, ſi certò & euidenter ſciat huius cibi abſtinentiam ſibi mortem illaturam eſſe. & hoc ita certum exiſtimo vt contrarium videatur improbabile. Si certò ſciat ſe ex carnium abſtinentia paſſurum eſſe intolerabilem incommoditatem citra mortis periculum, aut incurſurum probabile mortis periculum: poteſt carnibus vti & non vti. Vti quidem; quia nec ad intolerabile tędium nec probabile mortis periculum Benedictinus obligatur: non vti verò, quia ſuæ commoditatis eſt dominus, & probabilitatis arbiter: ideòque poterit illam Deo conſecrare, & in hac reſoluere pro voluntate. Qui autem certò aut probabiliter ſcit ſe paſſurum eſſe graue incommoditatem abſtinendo à carnibus, aut horas Canonicas legendo, tenetur obedire Eccleſiæ, habet tamen cauſam ſufficientem diſpenſationis impetrandæ. Tandem, qui ſciat ſe leuem paſſurum fore incōmoditatem nec poteſt omittere ſubſtantiam rei præceptæ, nec petere diſpenſationem. nulla enim eſt lex quæ obliget ſine leui aliqua incommoditate: poterit tamen petere rationabilem diſpenſationem, non quidē circa rei præceptę ſubſtantiam ſed circa qualitatem.

101 Hæc dicta ſint de certitudine, hęc de probabilitate: ad dubium deueniamus. Reſpondeo ad *primum & ſecundum* nunquam carnes eſſe præcisè neceſſarias ad conſeruationem vitæ; nonnumquam eſſe vtiles, ſæpe nociuas. Omnium prudentum iudicio proſunt habenti fortem ſtomachum, carenti tamen membrorum viribus; nocent laboranti ſtomachi debilitate. Conſuetudo eſt altera natura; illis qui ſemper carnes comederunt, liberiùs poterunt concedi, quàm illis qui abſtinuerunt à pluribus annis: omnis enim cibi nouitas hominem alterat, & quæcumque alteratio, ſi periculosè labores, timenda eſt. Ergo impoſſibilis eſt caſus, in quo quis teneatur carnibus veſci: poſſibilis in quo licitè poſſit. *Tertium* dubium tollitur patriæ conſuetudine, & Medici iudicio; ipſius enim eſt, morbi grauitatem cognoſcere, ægroti, ſincerè referre & patienter pati. Conſultò *patriæ conſuetudinis* memini, ſunt enim legitimi mores in aliquibus Regionibus, qui videntur præſcripti, & iudicantur ſufficientes, vt ſedent conſcientias ſcrupulizantes. Minor morbus ſufficit in Hiſpania vt carnes concedantur; maior requiritur in Belgio. ratio eſt, quia in minori morbo apud Hiſpanos maior eſt carnis edendæ neceſſitas. Virtus nutritiua apud ipſos eſt fortior, adſueta carnibus, & ideò illarum vſu in morbis roborantur. Belgæ ſtomachus multò debilior, liquidis potiùs cibis & iuſculis fortificatur. Præterea, nec tanta neceſſitas requiritur vt licitè quis comedat carnes in Hiſpania, quanta requiritur in Belgio, aut alijs

E prouin-

prouintijs habentibus magnam piscium copiam. In quadragesimali ieiunio, verbi gratia, supponamus esse in tali regione pisces sufficientes vt pars à carnibus abstineat: quid ergo agendum? quid comedat alia pars hominum? & si carnes; qui erunt potiùs abstinentium, quam nō abstinentium numero adscribendi? Sanè ægroti, etiam illi qui tenerentur non comedere carnes; si piscium abundantia suppeteret. Ex suppositione enim, quòd ex centum hominibus debeant viginti necessariò carnes comedere defectu alterius cibi, præstat permittere carnes valetudinarijs & mediocriter ægrotis, quàm robustis & sanis. Ergo qui inhabitant Hispaniam licitè & prudenter cōsuetudini loci concedunt, tam in esu intestinorum & illarum animantis partiū, quæ permittuntur diebus sabbati; quàm in vsu quarumcumque carniū iuxta prudentiam benigni Medici. Vnde meritò D. Bernardus cap. 6. docet humanas leges *licitè interdum & innoxiè pro causis, personis, locis, & temporibus dispensari*. esset enim summa imprudentia causas, personas, loca, & tempora confundere, hoc est, leuem causam graui, personam debilem robustæ, regionem piscibus carentem maritimæ & dies recreationis diebus ieiunij æquare.

Volo, vt prosim scrupulosis, subiungere articulum integrum ex Alphonso de Casarubios in priuilegiorum Pattrum Minorum Compendio, verbo Infirmus, mihi & Kinchio pag. 258. numero 6. Ait enim [Idem Leo, quia fiat sibi expositū quòd aliqui Fratres scrupulosi (quando sunt infirmi) ferè nunquam possunt nec sciunt se determinare quando licitè possunt dimittere dicere horas canonicas, cōcessit quòd siue propter febrē, aut dolorem intensum, vel aliam infirmitatem Fratres fuerint grauati, satisfaciant dicendo pro horis canonicis Psalmos, Pater-noster, Aue-Maria, vel alia iudicio Prælati, seu Præsidentis loci aut Conuentus adsignanda. Et hoc quando Medicus corporalis (si commodè poterit haberi) dixerit esse nociuum infirmo.] Igitur, si Medicus id dicat, & Superior dispenset, scrupulus manere non potest.

102 Cæterùm, dum dubium vnum tollitur, aliud videtur suboriri. Dubitas enim, An in expositione tui morbi ipsūmet Doctorem deceperis? an minorem patiaris, quàm putas? an minorem putes, quàm dixeris? docemur enim experientia ęgrotos non bene discurrere: quia cùm mors imminet, sibi abblandiuntur, ne periculum credant; cùm leuiter affliguntur, existimant se intolerabilia pati, ne laborem sustineant. Me iudice hic locus scrupulo non est, quia hæc omnia sciunt Medici, qui Expertissimi dicuntur, quòd experientiam maiorem habeant, quàm ęgrotus. Ipsi non ex verbis solùm, sed ex pulsu, sanguine, vrina, colore, & alijs circumstantijs iudicant; & decretum ipsorum potest seruari tanquam verè probabile, nisi fortè ipse æger illos ex consilio deceperit.

Ex dictis constat quid respondendum sit ad quartum, quintum, sextum. Septimum & octauum dubium tollitur experimento; quia qui dubitat, tenetur examinare, & in tali casu ipsamet experientia iudex est. Cæterùm si post experientiam adhuc remaneat dubium ad petes Ecclesiæ recurrendum, & dispensatio postulanda iuxta ea quæ superiùs diximus, ex beneficio enim Ecclesiæ habent Superiores priuilegium benignè interpretandi & dispensandi in fere omnibus Ecclesiæ legibus, quotiescumque dantur causę vrgentes & graues. vide Commentarij disput. 115. Concl. 111.

De Carthusianis.

103 SVnt pientissimi Viri, & in vltimo morbo à carnibus abstinēt, & putant se grauiter teneri. Sæpe eorum consuetudo defenditur, sępe damnatur;

natur; & sincerè loquendo nec vulgus intelligit quod vituperat, nec quod commendat. Malè ad cessionem iuris naturalis recurritur; est enim hæc quæstio difficilior, quàm debeat implicari nouis difficultatibus. Ipsi nec tenentur ratione voti, nec præcepti, sed consuetudinis, quæ si bene examinaretur, fortè esset ex deuotione introducta, & per errorem continuata: sed & hoc, qui voluerint, examinent. Nos verò in hac materia has positiones propugnamus.

104 Prima est. *Iure naturę aliqua indicuntur, aliqua conceduntur*. Patet: non enim omnia quæ conceduntur indicuntur. & vt alia omittam, honesta recreatio conceditur, non imperatur: licet ducere vxorem, licet castitatem vouere, licet cœlibem vitam agere; nemo tamen iure naturę obstringitur, vt hunc eligat statum & non alium. Multa sunt ad vitam conseruandam præcisè necessaria, multa ad robustius conseruandum vtilia; illa pręcipiuntur, hęc permittuntur.

105 Secunda. *Potest quis cedere iure vtendi rebus, quas concedit natura; potest illarum abstinentiam vouere & iurare; potest acceptare legem, quæ illas interdicat: cæterum contra naturale præceptum nulla est cessio, nullum votum, nullum iuramentum, nullum pręceptum validum*. Prima pars ab omnibus admittitur, & secundam demonstro. quia non potest quis cedere iure habendi caput, hoc enim membrum est pręcisè necessarium ad conseruandam vitam. ideòque similiter, nec posset cedere iure comedendi carnes, si & hæ essent præcisè necessarię ad vitam: potest tamen cedere iure vescendi carnibus, potest abstinentiam carnium vouere, potest legem carnes interdicentem acceptare; hæ enim licet aliquando ad salutem citiùs & robustiùs recuperandam conducant, sæpe sunt nociuæ, & nunquam pręcisè necessariæ.

106 Conclusio. *Ergo Carthusianus, qui in articulo mortis à carnibus abstinet, non peccat*. Constat ex dictis. quia vel carnes ipsi nocebunt, vel si proderunt, non erunt ita necessariæ vt aliter vitam conseruare non possit.

Sed maior est difficultas, quæ inquirit, An peccaret Carthusianus, qui in Articulo mortis, secluso omni scandalo, carnibus vesceretur.

Respondeo, eum peccaturum esse, *primò*, si nouerit expresè aut implicitè se ne in mortis quidem articulo carnibus vsurum esse. Idem de iuramento dico. Ratio est, quia tale iuramentum vel votum esset de actu virtutis, cuius operatio non repugnat ne quidem probabiliter Decalogo. *Secundò*, si admiserit talem legem impositam ab habente legitimam authoritatem. *Tertiò*, si verum sit dari consuetudinem, quæ habeat vim legis. Et probatur, quia talis lex est de meliori bono, & potuit legitimè poni, & obligat si fuerit acceptata.

In nostri Petri è S. Ioseph Thesibus pag. 155. Lego. *Carthusianus carens omni alio cibo, tenetur sub mortali peccato carnibus vesci; at si suppetant alij cibi non tenetur in graui ęgritudine carnibus vesci. Addo probabilius esse Carthusianum in eo casu non posse licitè carnibus vesci*. Sic vir doctus & pius; eius tamen verba indigent breui commentario.

Carere omni alio cibo pręter carnes, potest multifariam contingere; *primò*, si nec cibos habes nec reperire potes; *secundò*, si nec habeas, nec sine grauibus difficultatibus reperire possis, *tertiò*, si non habeas, sed facilè reperire possis; *quarto*, si solùm panem & aquā habeas, [tunc enim non habes cibos politicos, quod clare demonstratur. Nam si cum Hero paciscaris pro victu & amictu, non satisfaciet ille si pane & aqua te alat, & sago te vestiat, sed procul dubio debebit tibi cibos humanos & vestes honestas ministrare, nempe

quales alij Heri indulgent famulis similibus;] *quintò*, si haberes multos cibos præter carnes, omnes tamen nociuos.

His positis interrogas, In quo sensu veniat nostri à S.Ioseph Resolutio explicanda? Respondeo illam in primo omninò veram esse: falsam omninò in tertio. In secundo non resoluam difficultatibus non examinatis; sin. tales hæ sint. vt prudenter credatur lex non obligare sub tanto onere, prudenter censebitur carnes in tali casu posse comedi; aliàs non. In quarto, fateor, maiorem reperio difficultatem. Non auderem asserere esse probabile posse virum robustum die veneris comedere carnes, si careat piscibus, modò habeat panem; ratio est, quia vna sola dies non videtur inferre notabilem incommoditatem viro sano & vegeto; hic enim de ægris non agimus: Ergo similiter dicendum erit Carthusianum, si vna vel altera die solùm habeat panem & carnes, debere abstinere à carnibus eodem modo ac si haberet pisces, quia vnius diei incommoditas intolerabilis non est, & leges humanæ etiam obligant cum incommoditate tolerabili. Cæterùm, si deberet multis dieb. solo pane & aqua vesci, aut fallor aut diceret se non esse talem vitam professum, ideòque non posse cogi inuitum ad ieiunandi modum tam extraordinarium: addo tamen posse illum se simpliciter, &, si Ecclesia velit solemniter ad istam incommoditatem obligare.

Dispensatio duplex; necessaria & rationabilis.

108. **A**Gens de Benedictinis Institutis per solennem professionem acceptatis, sic inquit cap. 11. noster author, *Ita sanè necessaria dixerim, vt ex eis minimè praiudicetur necessarijs rationabilibusq; dispensationibus.* Animaduertis S. Doctorem duas dispensationum species cognoscere; quarum aliæ *Necessaria*, aliæ *rationales* dicantur: & differentiam desideras intelligere. Nec valde facilis videtur hæc quæstio cùm dixerimus, non iri concessam dispensationem cum lex humana contra Diuinam militat, quia tunc non datur valida humana lex, & quando non est lex valida, non requiritur aliqua dispensatio.

Sanè necessaria dispensatio illa est, quæ negari non potest; negari non potest, quando euidens est quod legi cum graui incommoditate satisfaciamus. rationali dispensationi contraponitur, non quòd irrationalis videatur, sed quod necessaria sit, & non relinquat opinandi & deliberandi libertatem, debet enim concedi necessariò ab Antistite. At rationalis dispensatio necessaria non est, supponit enim probabiles aut leues causas, quæ locū relinquunt rationi vt examinet an expediat adquiescere subditi voluntati, nimirum dispensando quoad substantiam, si incommoditas illa probabilis sit grauis: quoad qualitatem si leuis.

Igitur statuit Bernardus professos Religiosos, tametsi Regulæ necessitati subditos, posse perfrui dispensationum indulgentia, non solùm cum tales causæ occurrant, quæ Antistitem ad concedendam talem dispensationem necessitent, sed etiam quando sunt rationales, hoc est, probabiles & disputabiles. Quotiescumque enim superior prudenter & rationabiliter dispensat, manet subditi conscientia secura.

De causis dispensandi.

109. **E**X dictis nascitur curiosa controuersia quæ examinat, an in Regula D. Benedicti possit Prælatus dispensare sine causa? Et meritò hæc difficultas quæstioni præcedenti subiungitur, quia ibi docemur, non posse quemcumque confratrem concedere dispensatio-

sationem, sed dispensatoris officium pertinere ad Abbatem; & modò consequenter inquirimus, An pro voluntate & arbitrio, an verò pro ratione & prudentia possit Abbas concedere dispensationes?

110 Vt respondeam debeo relegere Melliflui mei Doctoris verba, quæ has resolutiones manuducunt. *Nouit autem*, ait, cap. 4. *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantùm vsurpare dispensationem, vnde bonam possit habere recompensationem*. Noto illud *tantùm*; & infero; ergo fidelis Superior non noscit vsurpare dispensationem, vbi non possit bonam recompensationem adsequi. Atqui ex intentione finis mali aut indifferentis non inferimus recompensationem: ergo non potest dispensare sine causa honesta. Adsonat sibi ipsi in fine Capitis VI. S. Doctor, nam cum leges omnes humanas dispensabiles esse docuisset, sic; inquit, *Sanè qui hæc legit attendat me cautè non dicere ea posse vel ab istis* (nimirum, *legitimis Superioribus*) *leuiter pro voluntate mutari, sed ex ratione fideliter dispensari. Ideò autem hanc ipsam mutationem taliter à talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt*. Et inferiùs cap. 6. *Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt*. His positis sit

111 Conclusio I. *Nullus Prælatus potest dispensare in Regula, Ecclesiæ præceptis, aut Decalogo, aut vt verbo dicam, in aliqua Prælati superioris lege sine causa*. Gelasius Papa citandus à Bernardo capite 6. *Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant Patrum Sanctorum decreta*. Et ibidem ad legandus Leo Papa, *Vbi necessitas non est nullo modo sanctorum Patrum instituta violentur*. II. *Nulla potest dari causa iusta ad concedendam dispensationem in Decalogo*. III. *Cùm æger non potest sine graui molestia elicere actionem ab Ecclesia, aut Regula præceptam, potest Abbas dispensare*. Patet, quia hoc ipsamet Ecclesia, ipsamet Regula concedit. IV. *Vt augeatur charitas potest Prælatus in lege Ecclesiæ & Regulæ præceptis concedere dispensationem validam*. Puta; si iuniori nondum ad ordines promoto concederet, vt horas canonicas omitteret, aut concionatori vt die ieiunij regularis cænaret. nempe illi vt meliùs disceret, huic vt melius doceret tunc enim esset valida dispensatio; si nec prior discere, nec posset posterior sine dispensatione illa docere absque incommoditate graui. Sed hæc non tam dispensatio, quàm obligationis Commutatio est. V. *In proprijs legibus potest quicumque Legislator etiam sine causa dispensare, nempe, si lex non sit præcisè necessaria*.

112 Sed ais. Æger, qui sine graui molestia non potest horas v. g. legere, & tamen sine dispensatione omittit peccat mortaliter, non tamen, si relinqueret habita dispensatione: ergo maior requiritur causa vt subditus sine dispensatione actionem præceptam licitè omittat, quam vt omittat licitè cum dispensatione. Ergo fallitur D. Bernardus, cùm subiungit, *Et eadem fortasse fidelitas à subditis nihilominus exigitur in obtemperando, quæ à Præpositis in dispensando*. Vbi *eadem* est idem ac *æqualis*.

113 Respondeo *primò*, hanc non esse Assertionem, sed *Dubitationẽ* Bernardi. *fortasse*, ait non *profectò*, vt ostendat se nõ resoluere sed proponere, non respõdere sed rogare. Respondeo *secundò*, dari duas dispensandi causas Charitatem & incõmoditatem; quando Antistes intuitu charitatis augendæ dispensat, cum subdito coascendit; cùm vitandæ incommoditatis ratione, condescendit. Agens igitur de priore, quam Concl. 4. expressimus, inquit Bernardum esse probabile (id n. videtur significare illud *fortasse*) quod non solùm possit Superior dispensare, sed quod & subditus possit non obtempe-

temperare, præcepta enim & vota debent esse de meliore bono, nec talia sunt cum charitati repugnant, & fortasse talia non sunt cùm repugnant augmento eiusdem charitatis. Consultò illud *fortasse* adiunxit, quia sæpe impediendæ sunt augendę charitatis occasiones, cum sunt expositę periculis charitatis perdendę.

114 Conclusio V. *Dispensatio est duplex necessaria & rationabilis, sic etiam commutatio.* sic loquitur D. Bernardus; nam cùm regularia pręcepta necessaria, hoc est necessariò obligatoria dixisset, subiunxit, *Ita sanè necessaria dixerim, vt ex eis minimè praiudicetur necessarijs rationabilibusq; dispensationibus.* Sanè hęc Conclusio verbis solis à tertia & quarta dissidet. *rationabile* enim est, quòd superior condescendat fragilitati & morbo inferioris ægroti, etiam cum leuiter affligitur, officium cum officio commutando; puta si legendum sit proprium, & æger memoriter sciat commune; tunc enim proprium cum communi commutando in qualitate dispensat illęsa pręcepit substantia. aut etiam si matutinas post nouas dici permitteret, tunc enim solus ordo horarum mutaretur, illæsa earumdem substantia & quantitate. Imò etiam nonnunquam *necessarium* est, vt Superior subditum adiuuet cùm ad sublimia adspirat. Omnes in perfectionem tendimus, nec impedire potest Superior, ni inconuenientia timeat, conatus subditi, qui ad maiorem perfectionem anhelat.

115 Sed inquies. Esto in pręceptis superioris non possit Abbas dispensare sine causa. Esto in præceptis Decalogi non detur dispensandi causa. Quid dicendum sit de regularibus præceptis? Nonne Pręlatus poterit iubere, vt talem locum adeas, & posteà dispensare in propria lege, & hoc nulla noua superueniente causa? An non citatis nostro Lorca, & Pontio disp. 52. in Regul. Benedictinam Resol. 14. statui Abbatem in suis legibus posse dispēsare sine causa?

116 Respondeo illa Commētarij Resolutioni nihil dici, quod in Conclusione nostra v. non imbibatur: distinguo enim cum D. Bernardo inter leges alienas & proprias, in proprijs ijsque non extremè necessarijs (tales communes leges sunt) potest quis sine causa concedere dispensationem, tametsi non possit in alienis. Primò, In Decalogo, quę aliena quidem lex est, dari causa legitima non potest, & ideò nec dispensare Antistes, si daretur. Bernardus cap. 6. sub medium, *Ideò autem* (pręcepta humana) *hanc ipsam mutationem* (nomine *mutationis* intelligit commutationem & dispensationem) *taliter à talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter nec per se bona sunt.* Ergo si pręcepta humana naturaliter & per se bona essent, essent dispensationis incapacia. Ergo & Diuina si contingenter & per accidens essent bona, & male esse possent, essent dispensationis capacia: aliàs enim causalis ista claudicaret. Et in eodem capite. *Quamdiu*, ait, *charitati militant, immobiliter* (præcepta) *fixa sunt, mutarique omninò ne ab ipsis quidem Pręspositis sine offensa possunt.* Subsumo, Atqui humana contingit aliquando pro charitate, aliquando contra charitatem militare: ergo & mutari possunt. Sed Diuina nunquam repugnant charitati; ergo mutari nequeunt: si quando repugnarent, possent. Secundò, in pręceptis Pontificijs, Regis, Cęsareis, dantur commutandi & dispensandi rationes, & ideò tales mutationes, si fiant ab eorumdem Legislatorum Vicarijs vel ex priuilegijs legitimis prudentes indicantur & validæ. Tertiò, in articulis Regulæ Benedictinæ, qui quidem ex vi legis præcepti non sunt, sed præceptibiles, posset dari legitima commutatio aut dispensatio ex vi cuius euaderent non præceptibiles saltem pro tempore dispensationis: sed hoc fieri non potest ab ordinario Abbate sine causa.

Hinc.

Hinc oritur controuersia subtilior examinans, An possit Abbas Religioso concedere non obediendi immunitatem? Sanè obligationem obediendi tollere non potest, materiam potest; nimirum, aut non iubendo, aut dispensando.

De legum & obligationum diuisione.

CAPVT V.

118 *Constat igitur ex his quæ dicta sunt, vestram illam diuisionem integram esse ac sufficientem, si modo Personæ distinguantur & tempora, dum subiectis quidem vv sit omnis regularis institutio, quantum dumtaxat ad corporales obseruantias pertinet, antè professionem voluntaria, A post professionem necessaria; Prælatis verò C partim voluntaria, vt quæ inuenta ab homine; partim necessaria, vt quæ fuerint instituta diuinitus. Quamobrem fortassis tum B potissimum congrua & luculenta magis eadem diuisio apparebit, si eius membrum quod dictum est necessarium, rursum in tria hæc subdiuidatur Stabile, Inuiolabile, Incommutabile.*

A. Conuersatio monastica ante professionem voluntaria & libera, admitti enim & non admitti potest; per professionem redditur necessaria, quia, quæ non admitti potuit, semel admissa excuti non potest.

B. Tum] Sic MSS. Sed impressi *Tunc*, sub eodem omninò sensu. C. Adsonat sibi Sanctus Doctor cap. 6. vbi ait. *Quia tamen ab hominibus sunt instituta, etiam per homines dispensantur.*

Exponitur legis diuisio.

118 v. Doceri vis quodnam sit huius diuisionis diuisum, quod in tria membra subdiuiditur. Respondet I. Merlonus Horstius esse *Institutum Religiosum* ait enim in margine, *Institutum religiosum necessarium subdiuiditur.* Sed hæc resolutio non videtur consona veritati; arguo sic. Diuisum debet prędicari & verificari de membris diuidentibus; atqui institutum religiosum de his membris diuidentibus nequit verificari; ergo non est diuisum. Consequentia est legitima & maior certa; minorem probo. Hæc prædicatio est falsa, *Necessaria incommutabilia, siue præcepta primæ tabulæ sunt instituta religiosa*: item hæc, *Necessaria inuiolabilia, siue præcepta secundæ tabulæ, sunt instituta religiosa*; vera autem hæc, *Aliqua necessaria stabilia sunt instituta religiosa*, falsa hæc tamen, *Omnia necessaria stabilia sunt instituta religiosa*, Multa enim statuta sæcularia sunt, quorum stabilitatem vtilitas publica postulat, quæ tamen non sunt religiosa. Dicendum igitur est Legē necessariam vt sic esse huius diuisionis, debereq; efformari categoriam ad Melliflui Præceptoris sententiam iuxta gradus subsequentis schematis.

Volun-

LEX

- *Voluntaria*, seu *pure-humana*: quam sibi vnusquisque præscribit in rebus aliàs non obligatorijs, modò præscriptionem hanc nec voto nec iuramento firmet.
- *Necessaria seu Diuina*
  - *Pure-Diuina*. Talis est prima Decalogi tabula, saltem quoad duo priora præcepta. qua quia nec ipsius Dei dispensationem admittit *incommutabilis* à nostro Doctore vocatur.
  - *Diuino-humana*. Et est diuinitùs lata, de materia purè humana, qualis est tota secunda tabula, quam *Inuiolabilem* dicit, quòd nullus in ea homo, sed solus Deus valeat dispensare.
  - *Humano-diuina*. Et est humanitus lata sed ex delegata authoritate Diuina. Hanc vocat *stabilem*, quia stat, quousque à Dei legitimis Vicarijs dispensetur.

Præmissa hac Legis diuisione, Bernardus ad singulorum membrorum diuidentium expositionem transit.

De lege Humano-Diuina seu Stabili.

CAPVT VI.

119 E*T quidem stabile dixerim, quod ita est necessarium, vt* G *non cuilibet hominum mutare* VV *illud fas sit, nisi solis Dispensatoribus mysteriorum Dei, id est, præpositis, vt verbi gratia Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, necnon &* H *autentici Canones, & si qua sint alia Ecclesiastica Instituta dignæ authoritatis; quæ quoniam à Sanctis* I *tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant, nec omninò cuiuis subiectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur. Quia* P *tamen hominibus, etiam* A *per homines loco & officio illis canonica electione succedentes, licitè interdum, innoxiaque* B *pro causis, personis, locis & temporibus dispensantur. Vbi sanè qui hæc legit, attendat me cautè non dicere ea posse vel ab istis leuiter pro voluntate mutari; sed ex ratione fideliter dispensari. Ideò autem hanc ipsam mutationem taliter & à talibus recipere possunt, quo-*

niam

niam C *non naturaliter nec per se bona sunt*.

Porrò inuenta atque instituta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret; D *sed quòd ita magis expediret, nec planè ad aliud, quàm ad* K *lucrum vel custodiam charitatis. Quamdiù ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt: at* E *si è contrariò contraria fortè aliquando charitati visa fuerint, his dumtaxat, quibus* F *hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, nonnè iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videbitur* L *vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur; sicut è regione iniquum, procul dubio foret, si statuta pro sola charitate contra charitatem tenerentur? Tenent ergo fixam, firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos quæ ex stabili necessariò sunt; sed quatenus charitati deseruiunt. Nunquid autem hoc ego vel solus sentio, vel primus dico? An non hoc* M *ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem*, Vbi necessitas non est, N incommutabilia maneant Sanctorum VV Patrum decreta: *Leoque Papa*: Vbi, *inquit*, necessitas non est, nullo modo violenter VV Sanctorum Patrum constituta O *Et infert*, vbi ergo necessitas fuerit, ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet ea dispenset; ex necessitate enim fit legis VV mutatio.

A HÆc consequentia. *Humanitùs in talem obligationem incurritur: ergo humanitùs concedi poterit dispensatio*, si de Prælatis legitimis intelligatur, & causæ supponantur legitimæ, est vera.

B Causæ mutant leges & dispensandi inducunt sæpe obligationem; dispensatio, quæ ex magna causa in re graui conceditur, non posset sine causa, aut ex parua. Sæpè ægroto debet concedi dispensatio, quæ robusto non potest. In locis frigidis vestes sunt necessariæ. Et dierum varietas postulat, vt Superior rigorem monasticum intendat aut remittat; nulla enim vel sanctissima reperitur communitas, in qua Patroni festiuitas non postulet maiorem Diuini officij solemnitatem, & rerum necessariarum subministrationem benigniorem.

C Ergo in ijs, quæ naturaliter bona, aut naturaliter mala sunt, humana dispensatio non cadit.

D Finis Regulæ S. Benedicti & aliarum est Charitas.

E An cessante fine adæquato legis (contrariè aut contradictoriè) cessat ipsa lex? vide num. 120.

F Non licet cuicunq; subdito examinare & decidere in Communitate bene gubernata. Vtrùm lex publica militet contra charitatem.

G Vt non] Sic MSS. sed Exemplaria impressa, *quod non*.

H Nec non est] Libri Impressi, non habent illud, *Et*.

I Tradita sunt] Ita habet editio noua Coloniensis meliùs quam MSS. in quibus lego. *Sint tradita*.

K Ad lucrum vel custodiam] Ita omninò legendum est, tametsi nouæ editiones pro *Vel* disiunctiua particula habeant *Et* coniunctiuam; non enim requiritur, vt lex respiciat lucrum & custodiam charitatis simul, sufficit enim, quod illa respiciat disiunctiuè.

L Libri impressi *videtur* habent pro *videbitur*.
M An non hoc] Mea MSS. *Anne hoc*.
N Incommutabilia] Sic legitur & bene in MSS. sed in impressi, *Inconuertibilia*, nouo vocabulo, quo non vtitur S. Doctor, vt hanc diuisionem exponat.
O Constituta] Aliàs *Instituta*.
P Tamen.] Omninò retinendum est, quamuis multa Exemplaria habeant, *Tantùm*.
VV In omnibus his locis eædem voces diuersimodè ordinantur sine alteratione sententiæ.

De fine legis in communi & in particulari.

120 SEd & huius capitis littera occasionem præbet, vt bene examinemus, An cessante legis fine adæquatè eo ipso cesset ipsa lex? an verò nõ cesset, sed debeat dispensari, aut mutari? Ratio dubitandi est; quia, vt incipiat obligare lex non sufficit dari causam legitimam, sed est necessarium, quòd feratur; vnde, quousque eam Superior tulerit, non obligabit: ergo similiter, vt obligare desinat, non sufficiet dari causam legitimam; sed requiretur abrogatio aut dispensatio. Nec valet dicere, nunc teneri Superiorem legem abrogare, quam pernitiosam cognouerit; quia etiam tenetur condere quam necessariam iudicauerit: ergo sicut non obligat subditum, lex quæ necessariò deberet ferri, sed, quæ lata, sic similiter non erit immunis ab obligatione obediendi legi, quæ abrogari deberet, si tamen non sit abrogata.

121 Vt igitur Dubio proposito respõdeam, *dico primò*: Homines non esse supremos Legislatores, sed Dei Vicarios. Nam si actiones hominum physicas consideremus, nascuntur à potentia causarum secundarum; si morales, à secundarum causarum morali potestate. Hanc omnibus Patribusfamilias Deus indulsit, *non quidem ad destructionem subditorum, sed ad ædificationem*, vt clarissimè docuit nos Apostolus; vnde Mellifluus meus Bernardus, impræsentiarum agit de præceptis, quæ à Superioribus imponi solent, & ait, *Porrò inuenta atq; instituta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret, sed, quòd ita magis expediret; nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam charitatis*. Ergo legum spiritualium finis est profectus & perseuerantia in charitate: cessat igitur legis finis, cum ipsa, nec custodiæ, nec lucro charitatis deseruit.

122 *Dico secundò*; Charitatem & animorum ædificationem, quæ intenditur, sæpe multis medijs posse foueri & conseruari; sæpe etiam eius conseruationem ab vnico medio dependere. Si dependeat à multis, eligi debet medium aptius, & multum aptius illo, quod subditis ipsis arridet. Nam cùm in legibus etiam attẽdenda sit suauitas (non enim per difficilia debent ad Deum inuiti trahi, qui per facilia duci possent) hæc in legibus non acceptatis reperiri non potest. Huc respiciens in Commentarij mei *num.* 48. statui hanc primam Conclusionem, *Lex debet liberè acceptari à subditis: qui, si coacti acceptauerint, censendi sunt moraliter non acceptauisse, a q; ideò lege non obligari*. Probatæ & roboratæ optimorum Authorum testimonijs subiunxi Conclusionem alteram; nimirũ *Subditi qui latam legem iustam* (talis est, quæ ad obtinendum finem intentum præscribit medium optimum & facillimum) *non admittunt, peccant mortaliter non acceptando. Cæterum lex, si non acceptetur, non obligat, vnde nec peccabit, qui contra eam operabitur.*

Prima

Prima huius Conclusionis pars ostenditur; quia grauiter militat contra Legislatoris authoritatem legem non acptari; ergo, qui sine causa legem iustam non acceptat, ferentis authoritatem grauiter videtur contemnere, non enim opponitur materiæ legis, quæ iusta supponitur, sed formæ, hoc est, ipsiusmet Legislatoris voluntati. Cæterùm non tenebitur subditus via à legibus non acceptatis præscripta custodire charitatē, quam potest alijs vijs, tametsi, vt supponitur, difficilioribus. Cæterùm, si nullam legem vellet acceptare, nempe, nec facilem, nec difficiliorem, posset dici inobediens? Respondeo ipsammet interrogationem explicando. Si Roma Parisios quatuor viæ, quarum vna sit breuior securior & amœnior, reliquæ longæ prolixæ periculosæ, & aridæ. Qui potest tibi iter illud præcipere potest & viam determinare; Si periculosam præcipiat, poteris legem non acceptare; errat enim Superior per plura & periculosiora fieri iubendo, quæ meliùs per faciliora possent: Si optimam viam indicat, & nihilominus sine causa præceptū acceptare nolueris, peccabis tui Superioris authoritatem exponendo contēptui & ludibrio, potes tamen petere, vt indicat iter per viam difficiliorem, nec tenebris facilem illam inire iure præcepti, quod supponitur non acceptari. Ceterùm, si nullam viam inire velis, censeberis Parisios nolle adire, ac propterea non iam medium refugere, sed ipsum finem, qui per se independenter ab acceptatione posse intendi supponitur. Porrò, si contingat ex illis quatuor vijs, aliam esse breuiorem, aliam securiorem & longiorem, aliam amœniorem; posset subditus suo Prælato primam indicenti secundam proponere; quia non deberet dici legem sine causa non acceptare, qui vt liberaretur à periculis, vellet potius viam inire longiorem. Hæc dicta sint ex suppositione, quòd finis intentus à lege, tantùm sit, quod peruenias Parisios, nam si sit, vt citò peruenias, aut quod in medio itinere alia negotia expedias, possent viæ iuxta exigentiam & necessitatem finis determinari.

123 *Dico tertiò;* Si charitatis conseruatio ab vno solo medio pendeat, Superior debet prouidere, vt illud medium ponatur; puta consulendo, admonendo: quod si nec monita sufficiant, debet illud indicere, & si non indicat peccat mortaliter. Inferior debet legem acceptare; & si non acceptet, peccat mortaliter, & lege tametsi non acceptata tenetur. Superioris obligatio probatur, Officium enim eius est, prospicere vt cōseruetur charitas, non tamen prospicit, cùm non adhibet media sufficientia, vt illa conseruetur; nec sufficientia adhibet, si vnicum est, & illud superior omittit. Dices non semper requiri præcepta, quia multa fiunt consilij ductu. Sed respondeo, non dari diuina consilia de rebus præcisè necessarijs ad conseruationem charitatis, sed eò respicere consilia, vt charitas meliùs conseruetur; de charitate erga Deum seruandā, præceptum habemus in prima Decalogi tabula, de seruanda erga proximum, in secunda. Cùm ergo charitas præcipitur, etiam media comprçcipiuntur sine quibus ipsa stare non potest. Addo Prælatum non teneri statim fulminare prçcepta, sed quando non sufficiunt consilia.

124 Probatur etiam obligatio inferioris; nam, qui vnicum medium reijcit, ipsummet finem reijcere dicendus est. Cùmque charitatis obligatio non pendeat ab acceptatione subditorum, tenebuntur vel inuiti Diuinæ legis satisfacere.

Sed obijcis hinc sequi quemlibet Superiorem posse lege morali interdicere quæcumque peccata mortalia; omnia enim & singula militant contra charitatem.

125 Respondeo negando illationem;

ſolus enim Deus eſt vniuerſalis Dominus, ſitamq; vniuerſalem iuriſdictionem nemini communicauit; Charitas & ędificatio conſeruatur actibus purè internis, Eccleſiaſticis, regularibus, ſęcularibus, mixtis; & nullus eſt, qui vniuerſorum curam habeat. Ædificatio ſubditi prout actus purè internos concernit nulli homini, aut angelo commiſſa eſt, manet Deo ſoli reſeruata: Quamobrem nullus Superior (Eccleſiaſticus ſit aut ſęcularis) poteſt actus purè internos pręcipere aut interdicere directè. (Conſono *num.* 38. mei Commentarij.) Ratio eſt; quia actus interni ſolùm attinguntur indirectè ratione externorum, quos concernunt & tunc non debent dici purè interni, ſunt enim potiùs mixti: vnde ſtat certiſſima Concluſio, quòd actus purè internus (is eſt ab omni habitudine ad externum pręciſus) nec directè, nec indirectè indici, aut interdici poſſit.

126 Eadem ſubditi ædificatio prout concernit actus Eccleſiaſticos commiſſa eſt diuinitùs ſummo Pontifici, Epiſcopis, & eorum Vicarijs (mediatè aut immediatè, hoc enim alibi examinabitur) quapropter Rex, qui directè pręciperet miſſam talem talibus diebus dici, eamq; nouis orationibus pręter Pontificis approbationem componere, excederet limites ſuę poteſtatis. Non aliter etiam Epiſcopus, ſi ferret aliquam legem de materia purè ſęculari; Regibus enim & Rerumpub. Gubernatoribus commiſſa eſt cura conſeruandę charitatis & ędificandi ſubditos actibus & legibus ſęcularibus.

127 Abbas creditur eſſe Vicarius Pontificis in rebus Eccleſiaſticis, & in eis debet procedere iuxta ſua priuilegia & mores laudabiles ſui Monaſterij. Sed regularium actuum, & trium votorum ſubſtantialium obſeruātię eſt Ordinarius cuſtos, propugnator, non Dominus. Diſpēſatio eius eſt commiſſa prudentiæ; prudentię inquam, non voluntati: non enim vbiq; poteſt omnia, quę vult ſed quę iura permittunt à viris doctis explicata. Bernardus cap. 9. *Super Fratrum ſanè tranſgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur, qui Abbas eligitur; mandatorum cultor, & vltor vitiorum.*

128 Hinc ad legum diſpenſationem & commutationem progrediamur. Dico igitur; Perſeuerante aut toto fine *neceſſaria* legis, aut graui eius parte, Superiorem non poſſe concedere diſpenſationem. Singulos terminos expono. *Finem neceſſarium* appello illum, in quo *Superior* non poteſt diſpenſare, talia ſunt tria vota apud religioſos, talis conſeruatio Reipublicę apud quoſcumque, qui in Eccleſia aut extra vitam communem & Politicam agunt: *Legem* verò *neceſſariam*, ſine qua finis neceſſarius haberi non poteſt. Probatur, quia ex tali diſpenſatione ſequeretur, quod fruſtraretur intentio finis, quem ſupponimus eſſe neceſſarium. Vnde meus Author, *Quamdiu* (pręcepta) *charitati militant, immobiliter fixa ſunt, mutariq; omnino ne ab ipſis quidem Præpoſitis ſine offenſa poſſunt.*

129 Dico quintò; *Ceſſante toto fine adequato legis, ceſſat ipſa lex.* Pro huius concluſionis intelligentia adnotato finem ceſſare pro abſolutè & reſpectiuè, nempe, aut ſecundum ſe, aut ſecundum ſubditos conſideratum; ſecundum ſe bifariam deficere poteſt; videlicet, contradictoriè aut contrariè. Deficit contradictoriè, cùm medium ita variatur circumſtantiarum ſucceſſu vt inutile euadat; contrariè verò, cùm non ſolùm inutile, ſed & nociuum. Conſideratus reſpectu ſubditorum etiam bifariam deficere finis ipſe poteſt; in communi, & in particulari: in communi quidem, quādo medium illud non eſt vtile, aut eſt nociuum ad adſequendum finem publicum; in particulari, cùm ad adſequendum priuatum.

Dico igitur, quòd quomodocumque finis adęquatus deficiat (nempe, in communi, aut in particulari, pręciſiuè aut

aut contrariè) obligatio legis cessat. Hæc veritas roboratur testimonijs Authorum, quos Commentarij *num.* 50. adlego; & confirmatur rationibus sequentibus.

Et primò, quod cessant fine legis contrariè legum omnis cesset authoritas probabo testimonio Bernardi cap.6. dicentis, *Si contrario contraria fortè aliquando charitate visa fuerint* (nempe præcepta aut statuta) *ab his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est* (videlicet *mutari possunt.*) Et probat quia; *iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur.*

Secundò, quia & cessante contradictoriè illa lex, tametsi non militet contra finem intentum, non conducit, adeoque nec obligat; nemo enim prudenter inutilia præcipit, nemo tenetur etiam ad inutilia. Bernardus; *Tenent fixam firmamq́; immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deseruiunt.* Noto illud *quatenus*, & addo non posse intelligi inutilia quatenus fini deseruiunt, non enim inutilia forent, si aliquatenus fini deseruirent.

Tertiò, si Rempublicam consideremus, nemo est, qui vel totum populum, vel aliquem particularem velit obligare lege inutili, aut nociua toti communitati: quamobrem tenendum est legem, cuius finis cessat in cõmuni (contradictoriè aut contrariè) non esse obligatoriã. Sed difficilius est, an cessante fine adæquato in particulari, cesset etiam quoad illum particularem legis promulgatæ & iã acceptatæ obligatio? In Commentarij mei *num.* 50. respondi affirmatiuè, subscribens multis & probatissimis Authoribus. Inquiris tamen, An cessante fine adæquato legis in communi & manente in particulari, teneatur ad illam aliquis in particulari? Videretur alicui debere responderi affirmatiuè, aliàs enim non apparet doctrinæ consequentia. Respondeo tamen cessare legem etiam in particulari: quando ipsa est publica, & finis cessat in communi.

130 Dico sextò, *Quando finis legis cessat contrariè, superior non solum potest legem abrogare aut commutare, sed sub culpa tenetur.* Bernardus, *Iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur.*

131 Sed inquiris, quisnam debeat esse Iudex, & examinate, an finis ipsius cessauerit, aut non? an in lege quacumque sufficiat dictamen priuatum? Respõdeo aliter philosophari oportere de foro interno, quam externo. Vt in foro interno legi non obedias, sufficit tibi priuata probabilitas, etiam secretò hausta; at verò, vt publicè non obedias, requiritur quòd possis ostendere te habere opinionem probabilem de legis inutilitate. Cæterùm legem esse in communi inutilem & tamen sustineri, sine Reipublicæ ignominia, affirmari non potest; quamobrẽ sentio in nullo tribunali posse ostendi legis finem in communi adæquatè cessasse, quia aliàs ostenderetur Legislatorem esse Tyrannum, aut stupidum, quòd leges nociuas, aut inutiles foueret, aut tales esse ignoraret. Tyrannis enim est leges nociuas stabilire, Tyrannis subditos ad inutilia obligare, & socòrdia ignorare, an legis finis deficiat in communi; defectus enim huiusmodi talis est, qui non possit nisi crassè ignorari. Igitur in Republica bene ordinata (nulla est, quæ malè gubernata audire velit) legis obligationem cessare in communi ante iuridicam declarationem improbabile est. Ergo non quicumque priuatus, sed hi *hi dumtaxat* (verba Melliflui mei Doctoris) *quibus hoc posse videre* (& examinare) *datum est, & prouidere creditum;* nimirùm illi quorum curæ commissæ sunt ipsæmet leges.

Sed

Sed nequis crederet Bernardum docere propria placita, testatur hanc doctrinam ex Gelasio & Leone summis hausisse Pontificibus, & probat eorundem exhibitis authoritatibus.

De lege Diuino humana seu Inuiolabili, quæ solius Dei authoritate mutari potest.

CAPVT VII.

132 *NEcessarium deinde, quod Inuiolabile nominaui illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed diuinitus promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur; vt exempli causa; non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis scita; quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid* A *aliquo modo soluere, aut licuit, aut licebit,* B *Deus tamen horum, quod voluit,* C *& quando voluit, soluit, siue cum ab Hæbreis* [Exodi 3. g.] *Ægyptios spoliari, siue quando Prophetam cum muliere fornicaria,* [Oseæ 1. a.] *misceri præcepit, quorum vtique alterum, quid nisi graue furti facinus, alterum quid nisi flagitij turpitudo reputaretur, si non excusasset vtrumque factum auctoritas imperantis? Sanè vbi simile aliquid aliquando à sanctis hominibus fuisse legitur vsurpatum, Scriptura non indicante, quod Deus ita præceperit? aut eos peccasse fatendum est sicut homines, aut certè sicut Prophetas familiare Dei consilium accepisse. Vnde & vnum exemplum pono, quod occurrit de Samsone. qui* [Iudicum 16. g.] *seipsum vnà cum hostibus opprimens interfecit. Quod vtique factum, si defenditur non fuisse peccatum, priuatum habuisse consilium indubitanter credendus est, etiamsi* E *de Scriptura hoc non* D *habeamus.*

A Ex his aliquid]. Optimè MSS. Exemplaria impressa omittunt illud *Aliquid*. & remanet sensus obscurior.

B Deus] Libri impressi *Dominus*.

B Quod voluit, &] Mea MSS. non habent illud &, & habent illud editiones impressæ, ex quibus illud hausi ornatus nitidioris gratia.

D Etiamsi] Libri impressi habent *Etsi*.

E Habeamus] Minus latinè noua Coloniensis editio exhibet, *Habemus*: Sanè sequor mea MSS. & retineo *Habeamus*, quia particula illa *luet* videtur iure Grammatico exigere potiùs subiunctiuum.

De tertio præcepto Decalogi.

133 DVo prima Decalogi precepta purè Theologica & Diuina sunt, sex vltima Diuina humana: sed quid dicendum est de tertio, *Memento vt diē sabbati Sanctifices?* Si hoc primæ tabulæ præceptum est, malè dicitur esse omninò ne-

nò necessaria & inuiolabilis, cùm non solùm à Deo sit dispensabile, sed ab Ecclesia humano diuina authoritate dispensatum: non enim hodie Sabbatum, sed Dominicum diem sanctificamus.

144 Respondeo hac lege duo includi; alterum, homines debere gratias agere creatori, alterum, debere tali die & per talia media. Ad priùs ita rigidè à iure naturæ obligamur, vt non dubitet asserere D. Thomas hominem in primo instanti, in quo vtitur ratione libera, debere Deo conditori gratias agere: quam obligationem tametsi multi Scholastici differant, nemo negat. Ad posterius iudico Hebræos solùm fuisse obligatos adeoq; huius obligationis obseruantiam cum veteri lege transijsse; vnde Iudaizare dicendi sunt Caluiniani Ministri, qui frustrà apud rebelles Hollandorum Status obseruantiam Sabbati reuocandam contendunt. Igitur, si tertium Decalogi præceptum de actione gratiarum & oratione exponatur, & tempus humanitùs non determinetur, esse naturale & necessarium asserendum est.

De bonitate & malitia actuum humanorum.

135 Est maior difficultas, quã vulgò creditur, quæ inquirit, Sintne omnes res prohibitæ, quia malæ, an malæ, quia prohibitæ? hoc est, An adulterium secundum se consideratum, & vt præcisum à Decalogo sit malum, an verò ideò dumtaxat malum sit, quod diuinitùs sit interdictum? Modò asserendo, & modò negando aliqui recentiores obscuræ controuersiæ addunt tenebras; & imprudenter grauissimam quæstionẽ resoluunt. Sit igitur

136 Prima Conclusio. *Malitia est duplex; physica, & moralis. Illa est carentia reductionis & bonitatis physicæ; hæc carentia bonitatis moralis.* Hinc patet oppositionem esse duplicem, physicam & moralem, illa rebus ipsis opponimus, ista præceptis. [Accedit ordo Entium virtualium, qui perperam cum morali confunditur, & tamen debet omninò separari. Igitur virtualiter malum illud dicitur, quod verè non caret bonitate, ita tamen se habet, ac si verè careret. Non aliter dicitur & virtualiter opponi, quod quidem verè oppositum non est, ita tamen se habet, ac si opponeretur.] Si velis hanc doctrinam exemplis illustrari, multa suppetunt; nam cœcitas est malitia physica est enim carentia visus, cuius bonitas debetur animali. Eleemosyna propter vanam gloriam concessa, mala est moraliter saltem finaliter; caret enim ordinatione ad bonum finẽ. Occidere animal, si non sit contra præceptum, est actus, qui opponitur physicè ipsimet animali; si contra præceptum veniat, opponetur animali physicè, & præcepto moraliter.

137 Secunda Conclusio. *Non potest Deus facere, quòd vel carentia bonitatis debita physicè, non sit malitia physicè; vel quod carentia bonitatis debita moraliter, non sit malitia moraliter.* Patet; quia Deus non potest immutare rerum definitiones & essentias, & nos malitiam non nisi per bonitatis carentiam definimus.

138 Tertia Conclusio. *Omnes actiones, quæ interdicuntur in prima tabula naturaliter opponuntur Deo, etiam præciso omni præcepto: Omnes, quæ interdicuntur in secunda, tametsi ab omni præcepto præscindantur, naturaliter opponuntur proximo.* Patet; quia odium Dei, etiam si ab omni lege interdicente præscindatur, opponetur Deo physicè & naturaliter; non secus ac proximo; odiũ proximi.

139 Quarta Conclusio. *Actiones illæ, quæ in tabula secunda inhibentur, si considerentur abstractæ ab omni Diuino præcepto, non intelliguntur opponi Deo moraliter.* Probatur, aut potiùs demonstratur; quia, vt doceor ab Apostolo,

vbi non intelligitur lex, non potest intelligi præuaricatio.

140 Quinta Conclusio. *Omnes actiones, quæ interdicuntur præceptis secundæ tabulæ, præcisè à diuino præcepto opponuntur etiam Deo naturaliter tametsi media è.* Patet; quia sunt contra proximum, qui est Dei. Et confirmatur. Incendere domum, ideò est cõtra Petrum, quia domus est Petri, & occidere equum, ideò est contra Ioannem, quia equus est Ioannis; atqui physicè loquendo Petrus Dei est, ergo occisio physica Petri ab omni lege præcisa opponitur Deo physicè & naturaliter, Cessaret hæc oppositio si Deus non præsupponeretur velle positiuè contrarium.

141 Sexta Conclusio. *Non potest Deus facere, vt illæ actiones, quæ in tabula prima Decalogi interdicuntur, suæ summæ bonitati naturaliter non opponantur,* Patet ex præcedenti.

Septima Conclusio. *Potest Deus facere, quod omnes illæ actiones, qua in tabula secunda interdicuntur, non opponantur moraliter suæ bonitati infinitæ, ac propterea, quòd non sint peccaminosa, nec mala moraliter.* Vt hanc doctrinam intelligas adnotato, aliud esse Deum potuisse facere, quòd Hebræi spoliarent Ægyptios sine furto, & quòd Propheta cum muliere sine fornicatione misceretur, & quòd aliquis se occidat & non priuata authoritate; aliud & omninò diuersum, Deum potuisse facere, quòd furtum, fornicatio, & homicidium priuata authoritate commissum, non sint peccata.

Ratio enim est; quia si Deus vtpotè supremus vniuersorum Dominus, dedisset Hebræis omnia Ægyptiorum bona in possessionem, [*Exod.* 3.] & Prophetæ [*Oseæ* 1.] in vxorem mulierem illam fornicariam, & Samsoni [*Iudic.*16.] dominium propriæ vitæ; nec Hebræi abstulissent aliena, nec Propheta se commiscuisset cum fœmina nõ sua, nec Samson se occidisset priuata authoritate: ac proptereà, nec Hebræi essent fures, nec Propheta fornicarius, nec Sãson iniquus homicida. At Bernardus altiùs & meliùs infinitam Dei virtutem considerans, nõ solùm ei concedit potentiam faciendi, vt quis proximum spoliet sine furto, sed & indulgendi vt quis furetur sine peccato. Nam ex hypothesi (possibilis ipsa sit aut non) quòd Deus in secunda tabula legis suæ dispensasset cæteris manentibus vt nunc, spoliatio quam perpessi sunt Ægyptij, fuisset furtum; commixtio fœminæ & Prophetæ, fornicatio; & tamen non fuissent peccata; essent enim actiones deordinatæ physicè, non verò legi Diuinæ (quæ non esse supponitur) repugnantes. Hypotesin tamen ipsemet Bernardus admittit, & curiosè hoc præsenti Capite expendit.

142 Octaua Conclusio. *Potest Deus facere, vt actiones, quæ secunda tabula interdicuntur, non opponantur physicè suæ bonitati.* Et probatur discurrendo de singulis, quia potest facere, vt homo sit dominus physicus alterius hominis, imò & sui ipsius. Puta, si homo hominem Deo cooperante produceret, aut homo Parentibus mortuis se conseruaret. Quamobrem etiam nunc de facto videtur Parentem, qui filios occideret (quod quidem grauissimum peccatum mortale est) nullam habiturum fore oppositionem physicam Deo, si accederet Diuina dispensatio, Pater enim, qui filium interimeret, rem propriam consumeret, & ideò non opponeretur physicè Deo. Nec iuuat dicere, enim esse causam secundam, ideoq; Dominũ secundum, quia inde non sequitur, quod Pater filium occidere in tali hypothesi non posset, sed quod non posset Domino primo inuito; nec inuitus dicendus esset, qui in præcepto cognoscebatur dispensare. Adulterij oppositionem physicam potest Deus abolere, priuando maritum dominio & id concedendo amasio. Furti etiam, si daret Petro dominium totius orbis.

Nona

Nona Conclusio. *Non potest Deus facere formaliter, quod actione, quæ interdicuntur in secunda tabula, non opponantur physicè proximo.* Homicidium enim verbi gratia, quomodocumque id fiat, malum infert proximo, nam homini malũ est physicum vel iustè occidi.

Hinc constat operationes in secunda tabula interdictas habere duas oppositiones alteram contra proximum, & alteram contra Dominum proximi, illam immediatam, hanc mediatam; illam indispensabilem; hanc dispensabilem.

Consultò in thesi posui illud *formaliter*, quia mutando materiam multa etiã humanitus fieri possent, quæ tollerent istam oppositionem naturalem.

143 Hinc Bernardo lux. Nam in hoc capite legem naturæ, & oppositionem physicam, quæ actibus humanis & bonitati Diuinæ interesse solet, examinat, idque aptè inter primam & secundam tabulam distinguit, iuxta ea, quæ Conclusione VI. & VIII. stabiliuimus Lego in capitis antiquo titulo. *Quæ naturaliter & necessariò immutabilia sunt, ea ne quidem Deus mutare potest.* Et infero. Ergo, *quæ naturaliter non tamen necessariò sunt immutabilia, illa Deus mutare potest.* Addo prioris esse generis primæ tabulæ articulos, posterioris secundæ. Odium enim Dei naturaliter & necessariò Diuinæ bonitati opponitur, ideò illud ne Deus quidem potest hac oppositione priuare: odium verò proximi naturaliter opponitur Deo, non tamen necessariò, ideò Deus facere potest, quòd hac oppositione careat.

De Lege Pure Diuina, siue Incommutabili.

CAPVT VIII.

144 IAm verò Necessarium Incommutabile quid accipi A velimus? B *Et quidem nihil congruentiùs, quam quod Diuina ita constat & æterna ratione firmatum, vt nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis dominici in monte habiti* C *spiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in nouo, quam in veteri Testamento spiritualiter obseruandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo siquidem immobiliter, quo & naturaliter bona, nunquam nisi innocenter, numquam nisi salubriter, aut imperantur, aut obseruantur. Omni tempore, omni personæ mortem contempta, custodita* D *salutem operantur. Primam ergò necessitatem, sua cuique facit in promittendo voluntas. Secundam, præcipientis Authoritas. Tertiam præcepti dignitas. Differunt autem, vt iam dictum est, quibusdam à se inuicem gradibus tres istæ necessitate: nec vna omnes sequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex prima quidem quod efficitur, & si non penitùs immutabile, tamen vix mutabile esse constat, dum solis illud liceat mutare Prælatis, & hoc non nisi fideli & prouida dispensatione. Quod verò fit ex sequenti, quæ & vv maior ista est, penè iam incommutabile, soli quippe Deo esse mutabile superiùs demonstratum est. Porrò, quod de nouissima fit, tanquam omnium maxima, omninò incommutabile est: vtpote, quod ne ipsi quidem Deo*

mutare liberum est. Quod igitur nulli hominum fas est, nisi solis mutare Prælatis dici Vix mutabile *congruè potest; quod soli constat licere Deo, dicatur* Pene immutabile: *quod ne ipsi quidem Deo,* E Penitus immutabile *nominetur.*

A Vellimus] Libri impressi habent *Velim.*
B Et quidem nihil] Lego in noua Coloniensi editione *Equidem nil.*
C Spiritualis] Reperio in MSS. *Spiritualis*, sed legendum omnino est spiritualis; ratio est, quia tam vsus prænaluit, & actiones ab spiritu animante elicitas *Spirituales* immateriales autem illas, quas propter Deum, *Spirituales* nominamus.
D Custodita] In aliquibus libris lego *Custodia*, sed sine sensu.
E Deo] Deest illud *Deo* in editione Coloniensi, reperitur in meis & alijs MSS. atque ideò retinendum curaui.
VV Varius verborum ordo, & idem sensus.

De voti & iuramenti dispensatione.

145 IN varias classes diuiduntur Authores cùm examinant, An humana authoritas possit in votis & iuramentis dispensare? nemo est, qui absolutè asserat, sunt enim facta Deo non homini, ideoque aut non subsunt homini, aut saltem non subsunt dispensanti imprudenter. Petis, quidnam responderet Bernardus; videtur enim responsurus esse negatiuè, iuramenta enim & vota ad primam tabulam spectant, in qua sentit dispensationem nec diuinitus posse concedi.

Antequam ad Controuersiæ resolutionem accedamus, notandum est ex D. Bernardo omnem legem inhibere aliquam necessitatem, & proscribere aliquam libertatem; liberum enim est, quod potest fieri & non fieri, necessarium quod nequit non fieri. Tres species necessitatis reperimus; datur enim Realis, Virtualis, Moralis. *Realiter & physicè necessarium* dicitur, quod nequit non existere realiter, aut nequit realiter non operari, iuxta diuersa rerum genera, ipsæ enim aliàs secundum existentiam, aliàs secundum operationem considerantur. Huic opponitur *Realiter impossibile*, quod nequit esse. *Necessarium virtuale*, realiter loquendo necessarium non est, ita tamen se habet ac si necessarium esset, solet vocari *Necessarium morale*. Sed tunc virtualitas perperam cum moralitate confunditur. Hoc sensu dicimus necessarium esse hominem committere aliquod peccatum veniale, impossibile esse ita viuere, vt ne in vnum quidem leue labatur; nam homo, tametsi habeat potentiam physicam vt singula euitet, consideratus tamen respectu vniuersorum sumptorum collectiuè ita se habet, ac si talem potentiam non haberet. Eodem sensu dicimus impossibile esse scyphum vitreum singulis diebus seruire & nunquam frangi, quia licet nullum detur instans in quo necessariò frangi debeat, considerata materiæ suæ fragilitate & famulorum ignauia, ita videtur se habere, ac si necessariò esset frangendus; experientia enim nos docet, scyphos huiusmodi puerorum diligentiæ commissos non perennare infractos; & iacturæ propriæ nos instruunt, hominem fragiliorem vitro non agere multos dies quin corruat in aliquã culpã veniale. *Necessarium moraliter*, (sumo vocem in significatione rigorosa) est illud, quod necessariò debet facere, qui non peccare intendit: *Impossi-*

possibile moraliter, quod huiusmodi homo non potest facere: *Liberum moraliter*, quod sine conscientiæ scrupulo potest fieri & non fieri. Bernardus Cap. 11. *Quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam tenebit; quia omnino necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua.* Necesse quidem est; non verò physicè, aliàs enim ne vnus quidem vota posset violare: non virtualiter, aliàs enim tametsi omnes violare possent, nullus illa violare, cum tamen experientia nos doceat esse multos, qui non satisfaciant: ergo seruare vota necessum est moraliter: quia opus est, aut reddere Domino vota; aut peccare, nec possibile, quod quis non peccare intendat & tamen temeret emissi voti, aut impositi præcepti obligationem. His ergo positis species & subspecies contemplemur.

LEX DIVINA
- MORALIS
  - I. IVRATA.
  - II. LATA.
- PHYSICA
  - III. NATA.

147 Hanc legis categoriam exponit pulcherrimè Bernardus. *Primam*, inquit, *necessitatem* (nimirum, moralem iuratam aut deuotam) *sua cuique facit in promittendo voluntas. Secundam* videlicet, latam) *præcipientis authoritas. Tertiam* (nempe, natam) *præcepti dignitas.* Subiungit & explicat gradus, quibus differunt illæ necessitates. Vltima in ipsis rerum prædicatis imbibitur, & ab actibus auferri non potest, qui ergo vel Deus ipse faciet, quod Ens & Non-ens, Forma & Priuatio, Odium Dei & Deus (imò Odium Proximi & Proximus) non opponantur realiter. Vnde noster Author, cap. 8. *Porrò, quod de nouissima fit* (necessitate, hoc est, de nata) *tanquam omnium maxima, omnino incommutabile est; vtpote, quod ne ipsi quidem Deo mutare liberum est*, quamobrem dicendum est, oppositionem, quæ interest luci & tenebris, formæ & priuationi, Enti & Non-enti, odio & rei odio habitæ, esse necessariam physicè & realiter, vtpote, quæ nec diuinitus auferri potest.

148 Secunda, (hæc est lata necessitas) exoritur ex præcepto diuinitùs lato, quod quia Deus liberè tulit, cum vult, & respectui quo vult liberè dispensat aut commutat. Vnde Bernardus; *Quod verò fit ex sequenti* (nempe, ex necessitate lata) *quæ & maior ista* (scilicet iurata) *est penè iam incommutabile: soli quippe Deo esse mutabile superius demonstratum est.*

149 Vt igitur ad primam veniamus, quam principaliter examinandam proposuimus, sciendum est, hanc moralem necessitatem, quæ ex votis & iuramentis oritur, nullius hominis subesse voluntati, sed solùm Prælatorum prudentiæ, ita vt in ea nec omnes possint dispensare, nec vnus sine causa legitima. Ideò meus Author, *Ex prima quidem*, ait, *quod efficitur, etsi non penitus immutabile, tamen vix mutabile esse constat; dum solis illud liceat mutare Prelatis, & hoc nonnisi fideli & prouida dispensatione.* Verè obligationes, quæ ex voti & iuramentis originem ducunt, dici non possunt *penitus immutabiles*, quia mutari diuinitus possunt; & quia humanitùs nos hac lege Diuina obstrinximus, cum vota

emisimus, congruum est, vt etiam humanitùs Diuina nobis dispensatio concedatur. Seruatur enim optima analogia quando obligationis dispensatio cum eiusdem origine concordat. Lex physica nobis innata est. Non potuimus vel vno instanti fuisse ante illam, ergo nec vno instanti poterimus post illam durare. Vixit quantum viximus, viuet quamdiu viuemus; est enim nobis intrinseca, & ita intrinseca, vt nec à nobis ipsis distinguatur. Legi morali diuinitùs latæ subijcimur; non quia voluimus, non quia acceptauimus; sed, quia illam nobis Deus cuius præcepta nostra acceptatione non indigent, potenter imposuit. Solus tulit, cùm voluit, & qualem voluit; & ideò ipse solum, poterit cùm ipsi libuerit dispensare. Lege autem iurata & voto stabilita humano diuinitùs obstringimur, & ideò cum ratio postulat, humano diuinas dispensationes impetramus. Media voluntate humana Deus te Diuina lege obstrinxit, cum vouisti; non enim si obstringi noluisses, diuinitùs obstringeretis; ergo poteris ab hac obligatione liberari à Deo etiam media humana voluntate, tali tamen quæ Vicarium Dei deceat, hoc est, non temeraria, sed prudente. Ergo Bernardo duce & doctrinæ ipsius illustratione præuia Asserta nonnulla subiungamus, vt clarior euadat controuersia.

150 Primum. *Omnis obligatio sine moralis obediendi necessitas, quæ nascitur ex iuramento & voto Humano diuina est. Ex prudenti voluntate hominis natum est vt inciperet, adeoque ex prudenti hominis, si sufficientem Authoritatem habeat, voluntate nasci poterit, vt in ea dispensetur.* Constat ex supra dictis. Huius consequentiæ vim cognoscit Bernardus Cap. 6. Vbi infert, quòd homines possint dispensare in legibus ex eo, quòd ab hominibus sint institutæ. *Quoniam à sanctis tradita sunt,* ait, *sancita stabiliter perseuerant,....... quia tamen ab hominibus, etiam per homines illis Canonica electione succedentes licitè interdum... dispensantur.*

Sed instas. Ideò homo potest in iuramento dispensationem concedere, quia homo illud emisit; atqui nullus est, qui non possit illud emittere: ergo nullus est, qui non possit dispensationem concedere.

151 Iterum eadem maiori resumpta sic inquies; Ideò potest homo voti aut iuramenti concedere dispensationem, quia homo illa emisit; atqui nulla exigitur causa, vt quis vota aut Iuramenta emittat ergo Superior poterit etiam sine causa dispensare.

152 Ad primam instantiam respondeo concedendo maiorem, & minorem subsumptam explicando. Nam si agamus de votis solemnibus, sicut falsum est, quòd possis illa validè emittere inuito Superiore, sic etiam falsum erit, quòd possis ab illis Superiore inuito liberari; quapropter omnimoda seruatur paritas. Sed si agamus de votis simplicibus, in idem controuersia recidit; nam emittuntur ex consensu Superiorum implicito, quibus iustè inuitis emitti non possent, ideoque nec possunt eisdem iustè inuitis relaxari.

153 Ad secundam concessa similiter maiori, minorem nego: quia omne votum aut Iuramentum debet esse de meliori bono; eritque valida, si omnibus circumstantijs perpensis in maius Dei seruitium & proximi vtilitatem dispensatio collimet. Ergo, quia non datur votum validum de minori bono, nec dabitur valida propter minus bonum voti, aut iuramenti dispensatio.

154 Secundum. *Promissionis facta fauorem tertij, licet iuramento firmata sint, possunt sine causa ab illo cui fiunt, non verò ab alio relaxari.* Pono exemplum. Pollicetur tibi Petrus centum aureorum summam, & promissionem confirmat iuramento: dico eum à te nulla causa interueniente posse liberari à satisfaciendi obligatione; non tamen posse à

Rege

Rege aut à Pontifice sine sufficiente causa. Ratio est; quia illa promissio est fauor, & hic non fit inuito, adeoque si nolueris illam auri quantitatem recipere, non tenebitur illam Petrus persoluere. Cæterùm te inuito Solus Deus poterit Petrum absoluere ab illa ob obligatione sine causa; non Pontifex, non Rex; hi enim Vicarij Dei sunt, & œconomi; non est autem bonus œconomus, qui propigus, & prodigus dicendus ille, qui sibi commissa sine causa dispensat, poterit tamen, si causa legitima subsit, iurantis Superior dispensare; sed & hoc intra sphœnam suæ authoritatis & iuxta mores Reipublicæ in qua degit.

155 In professione solenni promittitur Deo triplex virtus (nimirum obedientia, paupertas, castitas) & communitati stabilitas. Vt ad alium locum aut monasterium transeas communitas veniam concedet, si velit sine causa iuxta ea, quæ in Commentario nostro expendo disp.46. Ratio est, quia communitati facta est illa promissio, & ideò eam poterit relaxare. Substantialia vota facta sunt Soli Deo, ideoque ipse, etiam sine causa poterit in illis dispensare. At Summus Pontifex, cùm in votis dispensat Dei Vicarium agit, & non disponit res sibi commissas tanquam proprias, sed tanquam alienas suæ prudenti dispensationi traditas, à nemine autem censeretur Dispensator prudens, qui res sibi commissas sine causa & ratione dispensaret. Cùm verò Summus Pontifex in stabilitatis voto, aut alijs promissionibus homini factis dispensat, duritiem illius, cui factæ sunt, corripit, & directè in publicum bonum collimando, indirectè priuatam obligationem alterat aut commutat. Sanè inuito Monasterio nullus Religiosus sine vlla prorsus causa nequidem à Summo ipso Pontifice excorporari potest; sed, qui posset Monasterium in re simili (ni illo extremè indigeat) esse prudenter inuitum? qui reuerenter resistere summæ authori ati? quamobrem, quamdiu id non reclamet (audiri enim deberet, si Pontificis dispensationi sese opponeret) existimaretur consentire.

156 Hic obiter notandum est posse Superiorem eligere Vicarium, cui conferat authoritatem dispensandi etiam sine causa, nempe in proprijs electoris legibus: vnde si Deus, aut Pontifex, aut Regi talem dedisset authoritatem (neutri dedit, sed dare potuit) posset in eisdem articulis, in quibus Deus, nulla causa interueniente concedere dispensationem.

157 Vota solemnia, cùm fiunt, expressè emittuntur in approbata Religione, & nomine Ordinis & Ecclesiæ acceptantur. Quid si Ecclesia vota hac formula expressè acceptaret; videlicet *Admuo; sed reseruans mihi authoritatem vt possim etiam sine causa dispensare?* Sentio Ecclesiam in tali casu posse vti suo iure, & concedere pro libito dispensationes. Sed quid si censeatur implicitè sibi huiusmodi authoritatem reseruasse? Respondeo eadem probabilitate, aut improbabilitate posse dici reseruationem fuisse implicitè factam, & dispensationem posse sine causa concedi.

158 Notandum tamen est, nec humanitus, nec diuinitus concedi posse, vt quis votum cum causa, aut sine causa temeret, & promissam fidem inculpabiliter non seruet. Hæc enim lex omninò incommutabilis est; nec dari potest dispensationis causa: aut potest materia obligationis authoritate humano diuina tolli, aut declarando votum fuisse irritum, si ratio adpostulet; aut voti materiam in aliam commutando.

De votis simplicibus nihil subiungam, quæ enim fierent sine Abbatis licentia, essent contra Regulam ac propterea nulla. Sed de hoc alibi.

Abba-

Abbatem esse subditum Regulæ, non posse pro arbitrio iubere aut dispensare; sed solùm posse illa, quæ in Regula, aut saltem ad eam ordinantur præcipere. Monachos ad regulares obseruantias, nec ante præceptum, nec post dispensationem teneri.

CAPVT IX.

158 *QVæ cum ita sint, vt ad ea redeam de quibus potissimum quæritur, patet, quod vv magna ex parte regularis traditio subest eius, qui præest etsi non voluntati, certè discretioni. Sed dicitis: Quid ergo relinquitur necessitati? Audire quàm plurimum. Primò quidem, quidquid de spiritualibus in ipsa regula traditum est, in manu Abbatis, vt supra taxatum est, nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus constat obseruantijs, ne ipsa quidem in eius ita voluntate posita est, vt eiusdem* A *deseruiat voluntati. Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit, & si, quod negandum non est, Dei regula charitas, regulæ Sanctæ Benedicti iure proponitur. Esto proinde vt interdum Regulæ litera cedat pro tempore charitati, cum ratio necessitatis vel charitatis* B *exegerit, absit tamen, vt hominis cuiuspiam subdatur voluntati, super fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, Mandatorum cultor, & vltor vitiorum. Arbitror namque sanctas illas obseruantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, & non subditas voluntati. Hinc est, quod idem Legislator in his, quæ Abbati dispensanda reliquit, cautè nusquam vt nemini, voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut prouidentiam, aut rectè arbitrium, seu aliquid huiusmodi ponit; volens nimirum prouidum, fidumque dispensatorem, rationis vbi fortè dispensat sequi iudicium, non suæ placitum voluntatis. Vnde & intimat ei non semel, quòd de omnibus iudicijs suis Deo redditurus sit rationem. Lego profectò in Regula: hæc consideratio penes Abbatem sit, & hoc vel illud esse in prouidentia, vel arbitrio seu dispositione Abbatis: vt autem pro sua voluntate aliquid mutet, me ibi legisse non recolo. Quinimò in omnibus, inquit, omnes Magistram sequantur Regulam, nec ab ea temerè deuietur à quoquam; ergo, nec ab ipso Abbate. Omnes, inquit, Magistram sequantur Regulam. Nemo ergo suam voluntatem; vbi sanè nec Abbatem excipi puto. Videtis quantum necessitati tribuitur, subtrahitur voluntati? Quid etiam? Nonnè regularis ipsa professio, qua se iunior subdit sponsè Maiori,* C *æquè alligat & Priorem? Communis equidem pacti pari reor vtrumque necessitate teneri, fierique duos per vnius sponsionem alterutrum debitores: fidelis curæ vnum, alterum humilis obedientiæ. Quidnam ergo* D *iam voluntati relinquitur, vbi & Prælatus debiti necessitate tenetur? sed & de hoc item non parum*

Præla-

Prælati præscribitur voluntati, quòd is, qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundum Regulam, nec aliam quam Sancti Benedicti; vt oporteat eum, qui præest, non fræna suæ relaxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram, & sic sua demum VV *imperia moderari circa id solùm, quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum, sed hoc tantùm, quod prædictus Pater instituit: aut certè, quod sit secundum, quod instituit: Sic se quippe habet professio.* Promitto *(non quidem Regulam) sed* obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti: *Non ergo secundum voluntatem Præpositi. Proinde, si professo secundum illam Regulam* E *Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum Regulam, aut etiam quod non sit* F *secundum istam (instituta verbi causa Basilij, Augustini, Pacomij) quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? solum quippe id à me posse exigi, quod promisi, arbitror.*

A Eiusdem deseruiat voluntati.] Sed legitur in MSS. *Eidem deseruiat voluntati.*

B In meo MSS. non reperitur *vel charitatis*, legitur enim, *Cùm ratio necessitatis exegerit*; malui tamen sequi libros impressos.

C Maiori.] Libri impressi *Priori.*

D Ergo.] Aliàs *Igitur.*

E Abbas meus.] Aliqua Exemplaria omittunt illud *meus*, videtur enim superfluum; nam Abbas non meus nequit mihi leges imponere.

F Secundum istam.] Hæsi, fateor, sæpissimè, cùm in hanc inciderem periodum. Libri impressi vnius literæ solius defectu sensum interturbabant, & intelligi nequaquam poterant. In editione noua Coloniensi sic legis, *Si professo secundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum Regulam aut etiam quod non sit secundum ista instituta verbi gratia Basilij, Augustini, Pacomij, quænam mihi quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi.* Conclusum chaos! Ergo, si Abbas meus præcipiat, aliquid quod non sit secundum instituta Benedicti, Basilij, Augustini, Pacomij, non teneor obedire; teneor tamen, si aliquid quod sit secundum istorum instituta. Sequela est legitima & tamen omnino falsa; non enim teneor obedire Prælato secundum Pacomij, Basilij, aut Augustini constitutiones & leges præcipienti, qui illorum Regulas non sum professus, sed solummodo Benedictinam.

Cessauit tamen scrupulus cùm primùm recognoui Dunensia MSS. in meo sic legitur. *Si professo secundum illam* (nempe Benedictinam) *Regulam Abbas mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum Regulam* (aliquam) *aut etiam, quod non sit secundum istam* (videlicet Benedictinam) *instituta v. g. Basilij, &c.* Ecce clarissimè asserit S. Doctor me non teneri obedire Prælato secundum Regulam Basilij, aut alterius Regulam, aut instituta præcipienti, debereque illi solùm obtemperare, si præcipiat *secundum istam*, hoc est, secundum Regulam Benedictinam.

VV Varius verborum ordo absque sententiæ alteratione.

Expen-

Expenduntur obligationes subditi. Qualiter possit preceptis obstringi, qualiter fauoribus & dispensationibus perfrui, declaratur.

160 Illis verbis *Patet quod magna ex parte regularis traditio subest eius qui praeest, etsi non voluntati, certè discretioni*; ostenditur omnia regularia exercitia pendere ab Abbate; non quidem totaliter & absolutè, sed ex parte magna. At statim desideras tibi ostendi, Quænam sit illa regularis traditionis pars magna, quæ creditur Abbati subesse; & quæ illa minor quæ non subest?

161 Respondeo in Regula sancta reperiri sanctiones lege diuina, aut etiam Pontificia stabilitas, quæ sunt parua pars traditionum Regularium. Tales sunt virtutes substantiales; nimirum, Obedientia, Paupertas, Castitas: tales aliæ sublimiores virtutes, quæ has eleuant, tales aliæ; quæ exornant; videlicet, Fides, Spes, Charitas, Religio, Pœnitentia; Pietas, Mansuetudo, Vrbanitas: quæ quidem & similes virtutes, non subsunt discretioni Abbatis: nulla enim potest esse Authoritas, quæ oppositos actus indicat, hoc enim rerum cursu stante actus oppositi his virtutibus esse boni non possunt.

Omissis igitur actionibus, quas vt benè notat D. Bernardus cap. 3. non tam homines, quàm Deum ipsum præcepisse dignoscitur, cæteræ omnes purè regulares [tales audiunt, quæ ab vna & sola Regula indicuntur] subsunt dispositioni & dispensationi Abbatis, non tamen absolutè & simpliciter, sed rationaliter. non enim ab Abbatis voluntate, sed à discretione. Penderent absolutè & totaliter à voluntate Abbatis, si ipsi liceret pro libitu omnes mutare & alterare sine causa: sed quia sine causa nō potest, eas pendere ab Abbatis discretione & prudentia dicitur; *sunt enim ad lucrum* (verba Bernardi sunt) *& custodiam Charitatis instituta ...... & iustissimum esse liquet, vt quæ pro Charitate inuenta fuerunt, pro Charitate quoq; vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur.*

162 Ex hac verissima doctrina aliquas Ectheses infert S. Doctor, quas colligere oportet, vt mentem nostram instruamus. *Prima*, Diuina Regula est Charitas: *Secunda*, Charitas omni Regulæ humanæ proponitur: *Tertia*, Nec potest Abbas præcipere, quod sit necessarium ad custodiam charitatis: *Quarta*, Abbas non est supra Regulam, sed infra: hoc est, nec potest iubere, quod non est secundam Regulam, nec interdicere, quod est in Regula. *Quinta*, Abbas est Mandatorum cultor & vltor vitiorum; non enim vtiliter in vitia animaduertet, quin priùs non fuisset seuerus regularium sanctionum obseruator. *Sexta*, Obseruantiæ Regulares non sunt ita in Abbatis voluntate positæ, vt eiusdem deseruiant voluntati, sed magis charitati. Vnde colligitur non posse Abbatem in præceptis intendere suam vnicam vtilitatem & commoditatem, sed potiùs debere charitatē; *Septima*, Si Abbas præcipiat aliquid quod sit præter Regulam (hoc est, nec in illa expressum, nec ad illam conducens) inualidè præcipit; debet enim charitatem per actus regulares intendere, non per exoticas & peregrinas obseruantias.

163 Confirmat vniuersas has Ecthéses aurea illa nostri Authoris periodus; nimirum, *Interdum Regula litera cedat pro tempore charitati, cum ratio necessitatis exegerit; absit tamen vt hominis cuiuspiam subdatur voluntati*. Est cautissimus in verbis Bernardus. [quod & de se fatetur in hoc libro cap. 42. *Ego*, ait, *in sensibus actibusq; illustrium Patrum cautus profectò sum omnino*] & consultò posuit

Regu-

Regula literam, cùm *Regulam* hucuſque. Pro charitate enim Regula Benedictina mutari non poteſt; at Regulæ litera, non ſolùm poteſt, ſed & debet.

164 Vt hoc altè intelligas adnotato duo in Regula Benedictina reperiri; materiam formam, corpus animam, literam & ſpiritum. Hic nullo in tempore cedere poteſt charitati, eſt enim ipſe actus perfectæ charitatis. Legitur in Sacra Scriptura, *Litera occidit, Spiritus autem viuificat*, quod & poteſt præſenti argumento appropriari, Spiritus Regulæ Benedictinæ eſt vera ſignificatio & articulorum intentio. Verborum genuina ſignificatio eſt literæ anima, forma, vita, ſpiritus; adeòque dicitur, viuificare: at litera, ſi careat vera ſignificatione, ſi contra charitatem exponatur, mortua eſt, imò & mortuos faciet. Regula enim contra mentem Legislatoris expoſita, non quidem Regula Benedictina, ſed Regulæ defunctæ cadauer. Quamobrem omnes & ſingulę ſanctę Regulæ Inſtitutiones, teſte Bernardo, hanc formulam implicitè imbibunt. *Fiat, quamdiu videatur cuſtodiæ & lucro charitatis ſeruire, alias intermittatur, vel in id quod fortè commodius fuerit, demutetur*. Sub illo verbo *Fiat*, omnes & ſingulas ſanctiones Benedictinę Regulę intellige; vniuerſas enim hæc formula tranſcendit. Lucrum ipſi cuſtodię charitatis poſtponitur; licet enim periculo lucrum exponere, ne ipſam charitatem exponas; non autem è conuerſo. Vita auſterior, quæ ad charitatis augmentum ſeruitura præſumitur, ampleƈtenda non eſt, ſi prǽuideatur periculum perdendę charitatis: præſtat enim vitam mediocriter perfectam irreprehenſibiliter agere, quàm ſublimiorem viam ingredi in qua prǽuideas, te mortaliter nonnunquam peccaturum. Vide etiam huiuſce libri cap. 6.

166 Vnde Bernardus claudit ſuum diſcurſum his verbis, *Arbitror*, ait, *ſanctas obſeruantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non ſubditas voluntati. Hinc eſt, quòd idem Legislator, in his, quæ Abbati diſpenſanda reliquit, cautè nuſquam, vt memini, voluntatē, ſed aut cōſiderationē, aut diſpoſitionē, aut prouidentiā, aut certè arbitrium, ſeu aliquid huiuſmodi ponit*. Sed, quia multas virtutes intellectus & volūtatis S. Doctor enumerat; vt nudam Antiſtitis voluntatem excludat, oportet ſingulas vberiùs explicare.

166 *Prudentia*, regina, omnium virtutum practicarum, videtur eſſe quaſi vniuerſarum faſciculus. Illa, quæ ita omnia diſponit, vt fiant in pondere & menſura; non enim prudenter gubernatur cœnobium, in quo obſeruantiæ corporeæ indicuntur ſeueriùs, quam deberent. Religioſi homines ſunt, ſed fortes, non debet Superior nimium illis condeſcendere; fortes enim ſunt, non ignaui; nec debet eos nimis comprimere, homines enim ſunt, non lapides; vnde Capite x. huius libri Bernardus, *Ponant Præpoſiti*, ait, *metam obedientiæ ſubiectorum ex votis labiorum ipſorum, non ſuorum deſideriorum; monentes eos, non cogentes ad celſiora; condeſcendentes eis, cùm opus fuerit ad remiſsiora, non cadentes cum eis*. Vnde & S. Benedictus Cap. quodam *Secundum menſuram culpę & excommunicationis extendatur menſura*. Nō enim poteſt vigere obſeruantia in monaſterio, ſi nullam habeat moderatam menſuram. Videatur S. Bernardi cap. 32. in quo hunc textum Regulæ dilucidat.

Fides, eſt Conſcientia, & Opinio prudens, ſeu probabilis. Omne enim quod non eſt ex fide (hoc eſt, ſecundum dictamen rationis, & conſcientiæ iudicium) peccatum eſt. Videatur Caput 38. vbi ex profeſſo hæc veritas dilucidatur.

167 *Diſpoſitio* dicit bonum ordinem rerum agendarum; nec bene ordinare aut diſponere dicitur ille, cui pro ratione voluntas.

Prouidentia, actus intellectus & voluntatis media ad finem prædeſtinans. Cumque Regulę Benedictinæ finis ſit

charitas, voluntas & intellectus, quæ aliquid dirigunt & non in charitatem, constituere prudentiam regularem non possunt.

168 *Arbitrium* deliberationem imbibit; indeliberati enim actus quà tales à libero arbitrio non procedunt. Deliberatio bene dicitur esse prudentis rationis pedisequa: ergo idem est actiones arbitrio committere, quam rationi. Sunt & aliæ phrases in Regula quæ præcedentibus æquiualent, ex quibus proderit nonnullas legere, vt reliquæ si occurrant, facilè intelligantur.

169 Hinc facili negotio intelligitur, quid sit *Placitum voluntatis*. Illud prudentiæ, fidei, dispositioni, prouidentiæ, arbitrioque S. Bernardus contraponit: ergo voluntatis placitum poterit definiri, *Irrationalis & inordinatus affectus, quo ageretur Superior, si quid contra aut prater Regulæ finem, hoc est, contra aut prater charitatem disponeret.*

Si quando in Regula aut alijs Humanis quibusque legibus reperiatur hoc vel illud debere fieri iuxta voluntatem Superioris, intelligendum est, de voluntate prudenti & discreta, non tamen de temeraria & imprudenti.

Regulæ Abbatem subdi.

170 Legerat in Benedictina Regula Bernardus, *Omnes Magistram sequantur regulam, nec ab ea temerè deuietur à quoquam.* Et infert, *Ergo nec ab ipso Abbate.* Hæc consequentia fundatur illo dialectico principio *Dici de omni, Dici de nullo.* cui tota machina syllogistica innititur. Si enim mentem suam logico stylo exscripsisset Bernardus, proculdubio dixisset, *Omnes Religiosi Magistram sequantur regulam; Abbas est etiam religiosus, ergo & regulam Magistram sequatur*, & hoc affirmatiuè: aut etiam negatiuè, *A nullo Religioso deuietur à Regula: atqui Abbas etiam est Religiosus: ergo nec ab ipso Abbate deuietur à Regula.*

Si præmittas hanc Bernardi periodū, quam subiungit: nimirum, *Quantum necessitati tribuitur, subtrahitur voluntati.* inferes bene hanc consequentiam, *Ergo voluntas libera & necessitas componi non possunt.*

De Prælati & Communitatis obligationibus natis ex solenni subditi professione.

171 Sunt Prælati, qui existimant in Nouitiorum professione famulantium sibi addi numerum, non curas, non obligationes. Hos carpit & instruit Bernardus. Sunt Communitates quarū nomine Superior acceptat stabilitatis promissionem, & stabilitatem pollicetur: ita vt fiat contractus talis ingenij, vt nec subditus valeat inuito Superiore discedere, nec inuitus proscribi. Sunt in quibus stabilitas solam communitatem; sūt in quibus solos afficit particulares. In illis inuitus nec detineri potest, nec dimitti; in istis potest. Cæterùm nulla est, aut esse potest, bene gubernata communitas, in qua promittenti obedientiam non compromittat superior magisterium & directionem. Ita Bernardus in hoc capite. *Regularis ipsa professio*, ait, *qua se iunior subdit sponte Maiori, æquè adligat & Priorem* [hoc est, Antistitem] *Communis equidem pacti pari reor vtrumque necessitate teneri fierique duos per vnius sponsionem alterutrum debitores: fidelis curæ vnum; alterum humilis obedientia.*

De obligationibus vtriusque (nimirum, Superioris & subditi natis) ex Regula.

172 DE hac materia sæpe agere oportuit, sequimur enim Bernardi spiritum, qui hanc doctrinam sæpe resumit & inculcat. Sunto ergo vltimi paragraphi Ecthefes, actionum nostrarum Protheoremata.

Ecthesis Prima. *Ex vi promissionis tenetur Monachus obedire; nimirum, in rebus in quibus obedientiam promisit & qualiter promisit.* Aliter; *Non tenetur obedire in rebus, in quibus obedientiam non promisit, nec aliter quam promisit.* Probatur ex Bernardo, qui inquirentibus, An deberet Monachus obedire Abbati regulas Pacomij, aut aliorum Sanctissimorum Patrum præcipienti? respondet *Solum id posse exigi, quod promisit.*

173 Secunda. *Qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundum Regulam, nec aliam quàm S. Benedicti.* Est expressa nostri Doctoris. Sed si non promittit omnimodam obedientiam, multa sunt proculdubio quæ Monacho præcipi non possunt, solùm enim obligari ad illa potest, quæ promisit.

174 Tertia, *Prælatus solùm potest iubere, quod S. Benedictus instituit, aut certè quod sit secundum quod instituit.* Est etiam verbis formalibus nostri Doctoris concinnata. Potest igitur Prælatus iubere vt medium, actum cuiuscumque virtutis, quæ ad obseruantiam alicuius Sanctionis regularis conducat: Sed hic obiter etiam notato, virtutes nobiliores non esse media ad minus nobiles; media enim non possunt esse pretiosiora ipso fine.

175 Quarta. *Qui profitetur promittit non quidem Regulam, sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti.* Si Monachus promitteret Regulam, teneretur moraliter illam seruare, etiam Prælato non iubente; vt patet in clausuræ voto Monialium, quæ tenentur illam obseruare, etsi Superiores non iubeant. Sed quia aliud est promittere Regulam; aliud promittere obedientiam secundum Regulam, & Monachus non promisit illud prius, sed hoc posterius; si petas, quænam illi in hac re necessitas immineat obsequendi; respondebo cum Mellifluo Doctore, *id ab eo posse exigi, quod promisit.* ac propterea non teneri obseruare Regulam ante Abbatis imperium. Vnde cùm in bene ordinatis monasterijs lex Benedictina perpetuò feratur sub pœna, imminebit necessitas obediendi aut admittendi pœnitentiam, Sed si Abbas prudenter iudicet aliquem aut aliquos morali præcepto indigere, tunc illos poterit moraliter obstringere, ita vt peccent (mortaliter aut venialiter secundum materiæ quantitatem) tametsi sint parati pœnitentiam admittere; tunc enim illa lex simul esset pœnalis & moralis.

176 Quinta. *Abbati præcipienti quod non est in Benedictina Regula: nec secundum illam (puta, instituta Basilij, Augustini, Pacomij) nemo tenetur obedire.* Constat ex dictis. Sed & omnia & singula huius Capitis 9. litera clarè monstrantur, quam prodeŕit attentè relegere. [Vide prœmialem illam Epistolam. quam num. 1. posuimus.]

Quæ nec sunt in Regula, nec secundum Regulam, nequeunt præcipi, quæ in Regula, nequeunt prohiberi.

CAPVT X.

177 V*Idetis ergo* VV *iam obedientiæ limites, quos requiris?* A *Si modus est obeditionis tenor professionis nec se valet* B *extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis, profectò* citrà *&* vltrà, *nec non etiam* contrà, *quid aliud quam obedientiæ limites quosdam censuerim, & his suis terminis virtutem eandem circumcludi? Quamobrem quisque professus in quouis genere salutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ* C *legem cogendus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio; quantominùs contra? Is ergo qui medius est vitæ modus, præfixus voto, professione firmatus, tanquam lignum quod erat in medio paradisi, solus sine dubio legi erit subiectus, obnoxius iussioni. Ergo Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltra extendi potest nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quam promisi; Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate; Necessitas quippe non habet legem, & ob hoc excusat dispensationem. Voluntas verò,* D *quoniam sola meretur retributionem, etiam sola non immeritò gradum altiorem vsurpat. Alioquin & absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed præuaricatio est: & restrictio contra voluntatem murmur est, non profectus. Ponant ergo Præpositi metam obedientiæ subiectorum ex votis labiorum* E *ipsorum: Non suorum desideriorum, monentes eos,* F *non cogentes ad celsiora, condescendentes eis cùm necesse ad remissiora non cadentes cum eis.*

A Si] Alia exemplaria habent *siquidem*.

B Valet] aliàs *valeat*.

C Legem] alij legunt *lege*. Sed vterque sensus verus est, sed ille primus clarior.

D Quoniam] libri impressi *Quia*.

E Ipsorum.] Multa exemplaria perperam legunt *suorum*; nam si dicamus *ipsorum* erunt subditorum labia si *suorum*; erunt labia Antistitum. certum est Præpositos debere ponere metam obedientiæ subditorum ex labiorum, non quidem suorum, sed eorumdem subditorum votis.

F Non cogentes] Igitur lex nequit poni inuito, aliàs enim & posset cogi, quod negat hic & sæpè alibi noster Præceptor.

VV Varius verborum ordo sine aliqua alteratione sensus.

Pul-

Pulchræ & benignæ Ecthefes ex huius Capitis contextu.

178 PRima. *Tota Religiosorum obligatio nascitur ex professione solenni, & trium votorum distinctione: non autem ex pura authoritate Regulæ.* Probatur; quia tenetur reddere Domino Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & non tenerentur, si non vouissent; sicut nec tenetur, qui non vouit. Non habuit authoritatem Legislator vt aliquem obligaret inuitum; habuit Nouitius, vt habita deliberatione aut rediret ad seculum, aut se obstringeret voto. Ad illud votum tenetur quod promisit, & quale promisit, non ad aliud. Bernardus hic; *Modus est obeditionis tenor professionis: nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis.* & sub finem Capitis, *Ponant ergo Præpositi metam obedientiæ subditorum ex verbis labiorum suorum, non suorum desideriorum.*

179 Secunda. *Non potest Superior iubere vt quispiam agat vitam citra rigorem regularem, nisi habeat legitimam causam*; hoc est, non potest sine causa interdicere illa, quæ reliqui religiosi obseruant. Verbi causa. Si Abbas pro voluntate sua iuberet alicui vt die mercurij comederet carnes, malè faceret: sed postulas, An subditus deberet obedire? Respondeo debere Religiosum subditum deferre sui Abbatis iudicio & prudentiæ, & iudicare sublatere causam legitimam ex vi cuius Abbas tale præceptum ferret; cæterùm si constaret nullam esse causam sufficientem, non teneretur obedire.

180 Tertia. *Si Antistes aliquid iubeat supra Regulam aut vltra Regulam, non tenetur inferior obedire.* Non tamen dicitur iubere vltra Regulam, cùm præcipit secundum Regulam, hoc est in ordine ad Regulam. Illa enim, quæ sunt expressa in Regula præcipi possunt per se, & vt finis; quæ non sunt in Regula, possunt præcipi per accidens, & vt media, ad complementum Regulæ.

Inferes. Ergo nihil est factibile (vt termino Carnotensium vtaris) quod non possit præcipi à Prælato; nihil est enim, quod non possit ordinari ad Regulam, & eligi vt medium ad satisfaciendum alicui obligationi Regulari.

181 Respondeo negando illationem. Primò enim omnia illa, quæ sunt contra Regulam, ad Regulam non possunt ordinari; sunt enim Regulæ præuaricationes. Secundò omnia quæ sunt supra Regulam non possunt eligi prudenter vt media ad implendum Regulam. Ratio est clarissima; quia de natura medij est, quod non sit difficilius nec pretiosus fine; quis enim prudens audire vellet, & expenderet mille aureos vt decem præcisè redimeret? Qui dicunt Verbum adsumpturum fuisse carnem humanam, tametsi Adamus non peccasset, in natura & ingenio medij suam opinionem fundant, asserentes dici non posse incarnationem fuisse medium, & redemptionem finem, hinc enim sequeretur à prudente Deo ad finitum finem ordinari medium infinitum. adeoque dicunt, Christo aliàs venturo, propter peccatum hominis fuisse iniunctum officium Redemptoris. Abbas igitur obseruantias seueriores monasticis non valet introducere sub prætextu quod velit eas ad obseruantiam Regulæ ordinare.

182 Quarta. *Nullus Abbas potest iubere contra Regulam, vel quod idem est, interdicere id quod est in Regula.* Has tres vltimas Ecthefes vnica Bernardi periodo probabo, qui sub initium Capitis præsentis sic ait, *Profectò citra & vltra quid aliud quàm obedientiæ limites quosdam censuerim, & his terminis virtutem eandem circumcludi. Quamobrem quisque professus in quouis genere salutiferæ vitæ nec vltra obedientiæ lege cogendus, nec citra est inhibendus, quam sua ipsius videtur complecti professio; quantò mi-*

nus

nus contra : & cætera quæ sequuntur; omnia enim eandem veritatem confirmant. Caput ipsum relegito.

Quinta. *Si certa necessitate Abbas dispensare nequit*. Bernardus hic. *Vota mea non...... minuat sine certa necessitate*. Sed quid Bernardus intelligit nomine *certæ necessitatis*? An solam euidentem? Respondeo idem est dicere euidentem requiri, ac nullam debere dari dispensationem. Paucæ necessitates possunt euidenter cognosci, sed & illæ sæpè sunt tales vt legem abrogent ante Hominum dispensationem. Certitudo igitur, quam exigit noster Author, humana est, hoc est, rationalis, probabilis, & hæc in materia dispensabili iuxta ea quæ hucusque disseruimus.

183 Sexta. *Qui sine necessitate graui saltem probabili, dispensat in voto, iuramento, aut aliqua Ecclesiæ lege peccat, & dispensatio est inualida*. Vtrumque constat ex verbis vltimis huius capitis; vbi dicitur condescendere subdito Prælatus qui ex causa dispensat, & cadere cum Subdito qui sine causa dispensat, peccat qui vtitur dispensatione quam sciat concessam sine causa. Consultò posuit illud *sciat*, quia si subditus causam insufficientem esse nesciat, formabit iudicium certum & legitimum si suo Prælato subscribat consulto etiam *peccat* dixi; nam contra legem moralem aut pœnalem secundum qualitatem materiæ.

Perfecta ab imperfecta obedientia distinguitur, à seruili filialis.

CAPVT XI.

184 C*Æterùm subiectus huiuscemodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit* A *imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis: & ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans in infinitam libertatem extenditur. Hæc est illa de qua signanter Apostolus Petrus* [1. Petr. 1.] Castificantes, *inquit*, corda vestra in obedientia charitatis: *pulchrè ipsam per hoc sequestrans ab illa inerti & seruili quodammodò* V *obedientia, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc iusti illius cui* [1. ad Timoth. 1. 8.] *lex posita non est, propria est, non quòd vel ille perfectus viuere debeat sine lege; sed quia non sit sub lege. Minimè quippe contentus voto suæ cuiuscumque professionis, quam superat animi deuotione. Quamquam nec istam Regula ipsa* (Cap. 68.) *tacuerit vbi monet: si fratri impossibilia iniunguntur*, vt confidens de Adiutorio Dei, obediat ex Charitate. *In eadem* A *denique Regula* (Cap. 7.) *tertius describitur humilitatis gradus, vt omni obedientia Monachus se subdat Maiori. Dicens quippe* omni: *non vult nos in obediendo mensura esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum; sed transire alacriter votum,* V *etiam* a *& obedire in omnibus. Est sanè quidam obedientiæ limes*

secun-

secundum tempus, ipsa temporis extremitas: vt is B *sit terminus obedientiæ, qui & vitæ. Hunc vobis* VV *maximè commendat Vnigeniti exemplum, qui factus est Patri obediens vsque ad mortem. Hæc ergo quoties interrumpitur inobedientia, dicitur & peccatum & transgressio seu præuaricatio.*

A. In eadem denique] legimus in multis MSS. *in eademque Regula.*
B. Vt is sit] illud *sit* extat in MSS. sed omittitur in libris impressis.
C. Vnius præpositionis expressio diuersos sensus exhibet, sed non contrarios. Lego in meis MSS. virtutis studiosi esse vltra promissum & debitum conari *obedire omnibus*, ergo non solùm Antistiti, sed & confratribus; sed quia in Regula etiam præcipitur vt obedientes sint sibi inuicem fratres, videtur non transire adhuc votum, qui obediat omnibus; quamobrem placuit lectio exemplaris impressi, vbi dicitur opus esse vt conetur subditus *obedire in omnibus*, nam si hoc faciat transibit procul dubio obligationem professionis, non enim Benedictinus tenetur obedire Præposito in omnibus, sed in ijs solùm, quæ S. Benedictus instituit.
VV. Dictionum ordo in libris varijs, quos contuli, varius.

De obedientia negatiuè imperfecta.

185 HÆres, cùm legis hanc periodum. *Subiectus huiuscemodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur nouerit imperfectam.* Cur igitur? Nonne in perfectionem tendit, qui obedit secundum Regulam, quam professus est? & si per hanc obedientiam tendit in perfectionem, cur dicitur ipsa imperfecta?

186 Pro literæ intelligentia, duæ expositiones occurrunt valde veræ; duæ, quæ se mutuò roborant & confirmant. Dico igitur primò, bifariam perfectionem sumi; absolutè & relatiuè. Absolutè, cùm consideratur secundum se; relatiuè, cum comparatur & refertur. Creaturæ secundum se perfectionem aliqualem dicunt; talem verò quæ nulla sit, si cùm Diuina veniat comparanda. Adamus malitia peccauit; sed si cum Dæmone conferatur dici poterit innocens; tanta enim est Dei bonitas, tanta malitia dæmonis, vt homo malus videatur collatus cum infinitè-bono Deo, bonus collatus cum dæmone malo tantùm non-infinitè. Bernardus *Serm. 1. in Aduentu Domini*, in Adami persona sic inquit. *Domine obsecro complaceat tibi, vt eruas me; quoniam ego infirmus sum; quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hic Innocens in lacum missus sum.* Nota bene; Adamum in peccatum mortale lapsum innocentem appellat; sed, ne esset dubitationi locus, ipse vocem exponit; *Non penitus quidem innocens*, ait, *sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus.* Ergo Adamus teste Bernardo fuit absolutè reus, & innocens comparatiuè. Hoc sensu intelligendus est Paulus 1. *Corinth.* 13. 1. Scimus enim donum Prophetiæ esse sublimissimum, donum scientiæ esse diuinissimum, donum fidei esse necessarijssimum, & nihilominus, *Si habuero prophetiam*, ait, *& nouero mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod duce Bernardo sic explico, *sum, non penitus quidem nihil, sed quantum ad Christum, quem imitor, sum nihil aliquatenus. Ipse filius Dei est, & hæres regni; si & charitatem habeam, filius sum Dei, Christi confrater & regni coha-*

cohares; si illam non habeam, nihil sum. Hoc igitur sensu Bernardus exponi potest in præsenti; eius enim obscura loca non indigent luce peregrina. Obedientiam illam quæ est secundum Regulam, *imperfectam* vocauit & meritò; nam licet absolutè perfecta sit, vilescit, si cum obedientia, quæ vltra Regulam expansa limites non noscit, comparetur. Vnde *imperfecta relatiuè* idem est ac *minus-perfecta*, sicut etiam *innocens-comparatiuè* idem ac minus noceus, & *nihil-respectiuè* idem ac *ferè nihil*.

187 Sed si hic Pauli locus exponatur finaliter, habebit sensum euidentiorem & præparabit mentes vt secundò exponamus Bernardum. Finis vitæ Christianæ cælum est, gloria est, Deus est: emenda est, sed pretio charitatis, non pretio aliarum virtutum. ergo qui donatus est arcana mysteriorum notitia, qui hominum & angelorum idiomata cælestia percallet, qui omnes naturales scientias adsequutus nihil omninò ignorat, qui tantam fidem possidet vt miracula faciat, si charitatem non habuerit, ad effectum quem optat, nihil habet. Ergo similiter, in statu Monastico philosophandum est; finis duplex proponi potest, vnus deberet. Primus est, tendere ad perfectionem, secundus illam adsequi. Per obedientiam quæ secundum Regulam est, ad perfectionem tendimus, quotidie approximamus, singulis actibus propriores reddimur, non adsequemur tamen, quousque cordis dilatatione cum superioribus non licitemur. Obedientia igitur quæ secundum Regulam est, perfecta & vtilis omnino est vt in perfectionem tendamus, vt adsequamur imperfecta; ad hoc enim requiritur cæca obedientia, quæ Deum ipsum mente adsequitur, nam hæc cæcitas est oculatior omni humana aduertentia. Meliùs sibi prospicit, qui cœcè obaudit; quàm, qui disputat, & vtrum obedire debeat, inquirit. Igitur qui vt obedias, vtrùm teneatis, respicis, cœcus es, & perspicax qui cœcè obedis. Quãdiu examines, An Superior transgrediatur vel non suæ terminos iurisdictionis, non possidebis quietem spiritus, in qua consistit huius vitę perfectio; tranquillus eris si superiori dicas, Domine quid me vis facere?

De obedientia perfecta.

188 OBedientiam perfectam à minus-perfecta Mellifluus meus Author distinxerat, & docuerat minus-perfectam esse secundum Regulam, supra Regulam verò perfectam. A nunc in cimœrias tenebras nos protrudere velle videtur. Bone Deus si perfecta obedientia, est vltra Regulam, quomodo in Regulæ cap. VII. & LXVIII. præcipitur? & si in Regula teste ipso Bernardo præcipitur, à Regula deficit, qui non obseruat. Si deficit, quomodò dici potest voti emissi finibus cohiberi?

Respondere possem primò distinguẽdo in Regula Præcepta, Monita & Consilia. Hæc enim etiam meus Bernardus distinguit. Præcepta vocarem illa omnia, quæ possunt præcipi: Monita, quæ solent moneri; & Consilia, quę Religiosis consuluntur. Infimæ perfectionis esse dicerem obedientiam illam, quæ voti & legis terminis moralibus cohibetur & monita seu præcepta pœnalia non curat. Perfectiorem, quæ etiam purè pœnalibus legibus satisfaciens omittit regularia consilia; at perfectissimam, quę legem moralem nescit, terminis à pœna descriptis non coarctatur, quæ non contenta angustijs professionis largiori voluntate fertur in latitudine charitatis; & ad omne quod iniungitur (hoc est, præcipitur, monetur, consulitur) spontanea siue quod idem, non inuita, vigore liberalis, alacrisque in infinitam libertatem extenditur. In infinitam quidem, quia finita dici non debet obedientia illa quæ prudentiæ Prælati, tametsi regula-

gulares posset, terminos non præscribit. Et hæc expositio mihi videtur esse omnino probabilis, sed peteret materias præcepti moniti & consilij claré inter se distingui, quod tanti esset moliminis vt iterum deberet consuli D. Bernardus: nam ex hoc libro tertium humilitatis gradum & obedientiam in materia impossibili ad consilia pertinere sciremus: de reliquis crescerent dubia, nec esset œdipus qui resolueret.

190 Ne igitur Bernardi expositio textum ipsum Regulæ reddat difficiliorem præter consilia pauca, quæ in Regula exponuntur, quale est de vini abstinentia, Cap. XL. virtutes à nostro Legislatore iniunctas in meré-materiales, & meré-spirituales diuido, & sentio priores illas directè pertinere ad materiam præcepti, posteriores indirectè nimirum, in quantum ita sunt ad materiales requisitæ, vt sine ipsis non possint fieri materiales, non aliàs. Hac doctrina præmissa verba Regulæ, quorum meminit Bernardus interpretor; Capite 7. *Tertius humilitatis gradus est*, ait S. Benedictus, *vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus* [*ad Philippens.* 2.] *Factus obediens Patri vsque ad mortem*. Et distinguo illud omni; Si intelligatur de omni materia regulari ad præceptum pertinere posse resoluo: si de vltra regulari ad consilium, nam cap. 73. consulit omnes virtutes vltra regulares, vt legenti patebit. Et eodem protsus modo caput 68. explico. Cùm fratri debili impossibilia iniunguntur, videndum est, qualia sint illa impossibilia, nam si regularia ipsa sint, obedientia præcipitur; si vltra regularia, consulitur, ex vi eiusdem Capitis 73. Cum igitur D. Bernardus obedientiam, cuius meminit S. Benedictus Capit. 7. & 68 ad materiam, quæ vltra Regulam est, reducit, non est intelligendus de materia omni; nec de impossibili, si regularis, sed si vltra regularis: aliàs enim doctrina, quam in Epistola nuncupatoria tradiderat, corrueret; ibi enim vidimus Monachum Benedictinum obligari posse ad impossibile, si congruè exponatur.

De obedientia seruili.

191 Sed quæ est iners & seruilis obedientia illa, quam vituperat D. Bernardus, cùm citato Petro Apostolo, inquit, *Pulchrè ipsam* (nempe, *perfectam obedientiam*) *per hoc sequestrans ab illa* (nimirum, *quæ secundum Regulam est*) *inerti & seruili quodammodò obedientia, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati.*?

192 Cùm Religiosus lege morali aut pœnali trahitur, non ducitur; nam aliàs non esset operaturus. Si virtutis dulcedine adliciatur, lege non indiget, vtpote, qui esset bene operaturus tametsi lege omni careret. Subditus igitur, qui virtutem exercet, ne incurrat aut peccatum aut pœnam, odio mali trahitur, non boni dilectione conducitur; ideòque voluntas eius est nauseabunda, inuita, & similis renuenti. Legem scit; imò examinat, ne quidpiam faciat vltra legem. Terminis regularibus coarctatur, nec vult transgredi vltra limites perfectionis professæ, contenta professionis angustijs, vult quidem satisfacere promissis; exercendo virtutes, quas non exerceret, ni vouisset; imò vt verbo dicam, mallet non promisisse. Fertur ad omne quod iniungitur inuita, nam mercatori naufrago similis, laborem obedientiæ subit, ne vitam æternam perdat, ne pœnam temporalem luat, non subitura, tametsi omissio esset peccaminosa grauiter, si Deus nullum transgressorem puniret. Auara, aut saltem est illiberalis. Tristis modum iussionis considerans, authoritatem Superioris examinans desiderat non debere extendi. Hæc est iners, ignaua; hæc seruilis, timore enim regitur; obedientia est, non

charitati prompta, sed necessitati subiecta. Huic opponitur perfecta, ampla, larga, spontanea, vigens, liberalis, alacris, infinitè-libera, castificata, diligens, filialis, prompta, necessitatis inscia, legis ignara, deuota, ad omnia sese extendens, & ipsamet impossibilia faciens, quam hoc capite Mellifluus meus Doctor describit.

An omnia peccata sint æqualia.

CAPVT XII.

192 *Sed interest sanè, qua causa, quo affectu, qua intentione, quo præcipiente, in quoue præcepto malum hoc committatur? Et quidem nullam prorsus inobedientiam dico paruiducendam, non tamen omnem pari æstimandam periculo. Enim verò mandatum Dei est, non occides: fac ergo duos homicidas, & vnum quidem spoliandi cupiditate, alterum verò necessitate sese defendendi facinus perpetrasse: An non hic satis euidenter inter lepram & lepram causa separat, faciens vtique disparem valdè culpam vnius eiusdemque transgressionis? Quid verò si hunc subita ira, illum studiosa malitia aut vetus odium fortè ad idem scelus impulerit? num quidnam simili pensandum erit iudicio, quod tam dissimili factum constabit affectu? Nil deinde* A *incestius, obsceniusve quàm filias Loth* [Genes. 16. g.] *paternum vsurpasse concubitum; & tamen, quis non videat quantum euacuauerit* B *aut attenuauerit turpis nefandique flagitij* VV *reatum pietas intentionis, & intentio pietatis?*

A. Deinde] Alij libri *Deinceps*.
B. Euacuauerit] Coloniensis editio *Euacuerit*. sed à quo verbo? quo præludente authore?

VV. Hic omnia exemplaria habent eadem verba, non tamen disposita eodem ordine.

Nota. Sanè peccata vniuersa esse omnino æqualia impium est. Id olim Stoici censuerunt, sed iam hodie exploduntur ab omnibus: cæterùm esse multas malitias æquales in omnibus peccatis mortalibus, multas in multis abnegari non potest, *Primo*, omnia & singula æquè & vniuocè participant malitiam peccati mortalis, sicut homo & brutum rationem animalis vt sic. *Secundò* omnia & singula habent & eamdem numero infinitatem terminatiuè, omnia enim opponuntur vni & eidem infinito Deo. *Tertiò* peccata in grauitate inæqualia, solent esse æqualia in duratione, intensione, aduertentia, impœnitentia. &c.

Hac ergò breui præmissa doctrina ad diuersas peccatorum inæqualitates, quas Bernardus edisserit, veniamus.

De actibus instantaneis.

CОnsideranda veniunt illa verba. *Quid verò si hunc subita ira, illum studiosa malitia aut vetus odium fortè ad idem scelus impulerit?* An in via Bernardi, homicidium subita ira commissum scelus est?

193 Respondeo non semper subitam iram carere peccato; sæpe enim in subitaneo furore omnes concurrunt circumstantiæ, quæ ad rationem peccati requiruntur. legis enim cognitio, & deliberatio, possunt cum operatione instantanea coniungi, sed minus erit peccatum id ipsum instantaneum, illo quod in voluntate odio veterno infecta insenuisset: tametsi vtrumque mortale esset. Si in subitanea ira sit deliberatio semiplena, veniale peccatum committitur; peccatum tamen. At verò, si subitaneus ille furor ita mentem abripiat & obnubilet, vt totam indifferentiam auferat, aut mentem ita excæcet vt malitiam actionis non cognoscat; non iam passio, sed hominis perturbatio est; cumque cogit agere tanquam irrationalem. Tales operationes hominis, quamdiu perturbatio illa perdurat, humanæ non sunt, sed animales, adeòque bonitatis & malitiæ morales expertes.

De irregularitatis dispensatione.

194 SEd quia de homicidio agimus, & liber Bernardi quem exponimus *de præcepto, & dispensatione* inscribitur, vt Religiosis Cistertiensibus prodesse possimus, examinare oportet, An Antistes possit dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario suborta? & quid intelligatur nomine *voluntarij?*

195 Vtrumque dubium optimè resoluit sub annum 1584. Marcus de Villalva Abbas Collegij Salmanticensis, & ex mandato Generalis & Diffinitorum edidit, qua-propter sententia ipsius non tam priuati Doctoris, quàm totius Diffinitorij Hispano. Cistertiensis est. Ipse igitur in dubijs definitionibus antiquis additis, homicidium voluntarium exponit per hæc verba. *Por homicidio voluntario en quanto toca a la dispensacion, se entiende solo el homicidio criminoso y ilicito, porque este solo es reputado por voluntario y los demas licitos y iustos, para lo que toca a la dispensacion, son reputados por casuales.* hoc est, *Nomine homicidij voluntarij, in dispensationum materia, intelligitur solummodo homicidium criminale & illicitum, hoc enim solum habetur tanquam voluntarium: & reliqua (nimirum licita & iusta) quoad dispensationem casualia & inuoluntaria iudicantur.* Et meritò; non enim voluntariò facimus quæ indirectè, & inuitus, sed qui inuasorem iniustum occidit, & qui pro tribunali sedens latronem pernitiosum condemnat, indirectè interimit & inuitus, vellet enim si posset vitam eius tueri & conseruare, non ergo homicidium voluntarium committit.

196 Gregorius XIII. concessit Reformatori Generali Obseruantiæ Hispaniæ & Abbatibus particulare priuilegium, vt dispensent in irregularitate, & suspensione qualicumque excepta illa, quæ procedit ex homicidio voluntario: quo etiam priuilegio fruuntur Abbates illi omnes, qui bullam participationis habent.

197 Infertur. ergo ex vi huius priuilegij dispensationem posse concedi quibuscumque Iudicibus & iustitiæ Ministris, cuicumque chirurgo vel medico, imò cuicumque militi si in bello iusto militauerit. Omnes istæ consequentiæ illatæ sunt olim in similibus casibus à Caietano *in summa verbo Irregularitas.* Armilla *ibidem.* Couarruuias *in Clement.* Si *furiosus, de homic. 2. p. §. 3. num. 7.* Nauarrus *cap. 27. num. 240.* Sub-

scribit citatus Villalva & Ordinis Diffinitores.

198 Sed interrogas, An hæc dispensatio possit pluries concedi eidem reo? Respondeo eamdem dispensandi potestatem fuisse ab Eugenio IV. & à Iulio II. concessam. sed in priuilegio Iulij *toties quoties* legi. an hæc verba debeant vt sonant intelligi, an debeant ad aliquod genus limitari subdubitas; sentit Villalva posse Reformatorē toties quoties dispensare in irregularitatibus, quæ oriuntur transgressione præceptorum Regulæ & Definitionum; in ijs tamen, quæ proueniunt ex iure, semel cum singulis personis: Respondeo tamen me non videre sufficientem causam istius limitationis.

De peccato filiarum Lothi.

199 Cum legitur historia Lothi, semper inquiritur, An filiæ eius peccauerint, inebriando parentem, & eum ad fornicationem inducendo? Respondemus communiter, materiam fuisse grauem & capacem culpæ mortiferæ, easque solo ignorantiæ titulo posse excusari; nam, si laborarunt insuperabili, non peccarunt; reæ autem mortiferi criminis fuerunt, si vel contra dictamen operatæ, vel saltem secundum erroneum vincibile. Sed saltim studiosa indagandæ veritatis ambitio requirit, quid debeamus præsumere rebus omnibus examinatis? An sit verosimile eas laborasse ignorantia inuincibili & consequenter non peccasse? Sed noster Mellifluus Præceptor respondet.

200 Primò. *Eas peccauisse mortaliter.* Secundò, *Eas ex bona intentione vincibiliter, tamen erronea operatas fuisse.* Tertiò, *Minus eas peccatum commisisse quam si ex malitia peccassent.* Constant omnia ex his verbis, *Nil deinde incestius quam illas filias Loth Paternum vsurpasse concubitum; & tamen quis non videat, quantum euacuauerit aut attenuauerit turpis nefandique flagitij reatum pietas intentionis & intentio pietatis?* Intentionem peccati malitiam diminuisse asserit, non substulisse. Et infero, minora esse peccata ex ignorantia tametsi crassa quàm ex malitia commissa.

De homicidijs commissis indirectè.

201 Illa verba obscurissima sunt: *Mandatum Dei est non occidere; Fac ergo duos homicidas, & vnum quidem spoliandi cupiditate, alterum verò necessitate sese defendendi facinus perpetrasse. An non hic satis euidenter inter lepram & lepram causa separat, faciens vtique disparem valde culpam vnius eiusdemque transgressionis.* Ergo qui se defendendo inuasorem occidit, teste Bernardo, reus est; tale homicidium facinus est, lepra est, culpa est. Oportet igitur potiùs occidi quàm occidere.

202 Respondeo omne homicidium directè-commissum, publica aut priuata authoritate id fiat, facinus esse: non item commissum-indirectè. Ratio est; quia quinto Decalogi præcepto omne homicidium interdicitur; nec audiendi sunt, qui volunt excipere contra Decalogum, quia si semel tales exceptiones admittantur, nullus naturalis aut Diuinæ legis articulus subsistet. His positis sit

203 Conclusio I. *Respublica, cùm latronem condemnat, illum occidit indirectè.* Probatur; quia directè prospicit quieti publicæ, & pacificæ bonorum possessioni, quæ stare non potest ni latrones & fures tollantur. Ergo cùm bono publico directè prospicit, indirectè tollit illa omnia quæ conuincuntur publicis bono & paci nocere.

204 Conclusio II. *Si Respublica excedat*

cedat limites inculpatæ tutelæ, peccat hominem condemnando. Verbi gratia; si iudiceret pœnam capitis, cum sufficeret pœna exilij, aut alia minor; Tunc enim excessus ille censeretur directè à Republica intentus, quæ sæuire dicenda omninò esset, si quempiam occideret sine necessitate.

205 Conclusio III. *A fortiori eadem dicenda sunt de quolibet particulari*. Patet; quia Reipublicæ ius potiùs est; ergo si hæc nullum potest occidere sine necessitate, nec nocere vltra necessitatem, non poterit concedi homini particulari vt aliquem sine necessitate aut præter necessitatem percutiat. Ergo cum D. Bernardus homicidium factum necessitate sese defendendi condemnat, agit de illo qui excessit limites inculpatæ tutelæ: de illo inquam, qui debuit se defendere ne occideretur, potuit tamen suam vitam tueri securissimè, quin vita inuasorem priuaret.

206 Conclusio IV. *Persona (publica sit aut priuata) quæ in vltimo discrimine posita dubitat an ex tali circumstantia suboritura sit eius perditio, non potest illam circumstantiam non tollere*. Ergo, si inuadaris, & dubites, an possis mortem euadere non occiso inuasore, teneris sub peccato illum occidere, quia teneris propriam vitam tueri; & non licet obligationem ratam exponere successui dubio. Idem de Republica dicito. Vrbs obsessa, quæ timet ab inimico stragem, debet fortificare loca si dubitet an sint sufficientia vt possint arcere inimicos.

207 Conclusio V. *In probabilitate resolutio dependet ab arbitrio*. Patet; quia nemo est opinionis probabilis mancipium; & si nec promiserit, nec iure suo cesserit, poterit subscribere alterutri parti, aut potiùs vtrique probabiliter formando hoc practicum dictamen, *Faciam alterutrum, nam vtrumque est probabile*.

208 Sed quia egimus de cautione inculpatæ tutelæ, opus est vt hanc difficultatem liquidiùs expendamus. Eum qui se defendendo excedit necessitatis limites, & inuasorem occidit; si illæso honore aliter possit sanguinis reus est. Sed quid debet facere, ne dicatur excedere, Tenebiturne fugere? minimè. Nam fugiendo honorem perderet & vix periculum euaderet; ille enim, qui inuasit pugnaturum, etiam persequeretur fugientem. Ergo qualiter aget? Dicunt Theologi. eum debere vires suas cum viribus inimici conferre, & si se superiorem iudicauerit, debere agere solùm defensiuè; nullum enim subest periculum; at si cognouerit alterum esse superiorem, debere se defendere alterum occidendo. sed

Nauita de ventis, de bobus narret arator,
Enumeret miles vulnera, pastor oues.

209 An non inuasus occidi poterit antequam inimici vires periclitentur? ibi discurrere, conferre, examinare, consilium insalubre est. Non est confidendum industriæ cùm ensis hostilis stringitur. Hominum etiam expertissimorum errare est, & in tali casu minimus error morte luitur, sæpè enim strenui Martes vel à Thersita occisi.

uide propositio-nes damnatas ab Innoc. XI. 30. 31 ... Propos. damnata ...

Pri-

Primam praeceptorum inaequalitatem ex Legislatoris dignitate desumi.

CAPVT XIII.

210 *Iam verò de illo, qui praecipit, & item de eo quod praecipitur huiusce-modi aduertenda erit secundum rationem distinctio: vt cuius inter praeceptores reuerentior nobis imminebit Authoritas, eius grauior formidetur offensio, ac maioris cuiusque mandati transgressio damnabilior aestimetur. Melius siquidem est obedire Domino,* A *quam hominibus; & in ipsis,* B *melius magistris, quam condiscipulis. Porrò in magistris melius nostris, quàm* C *extranei. Quibus autem melius constat obedire, ipsis proculdubio & non obedire detestabilius est.*

A Domino] Per simillima compendia scribitur *Dominus* & *Deus*; ideòque frequentissimum est in varijs exemplaribus has confundi dictiones, quod praecipuè in hoc tractatu obseruo, plurium enim collatione facta, semper aliqua *Dominum* & aliqua exhibent *Deum*.

B In ipsis] Critici, qui in varijs editionibus abraserunt illam praepositionem, quam habent MSS. videntur non esse adsequuti sententiam. Illud *In* ponitur pro: *Ex*, phrasi apud Ecclesiasticos Doctores communis.

C Noto breuiter, quod vberiore calamo indigeret. Sanè si nostris Magistris securiùs quàm extraneis credimus; quis negabit esse innumeros qui in materiam fidei laborent insuperabili ignorantia? A proprijs magistris falluntur, qui carent scientia & doctrina, qua conspiciant se falli: sed de hoc alibi.

De authoritatis intensiuis & extensiuis gradibus.

211 CVicumque Superior in subditos authoritatem habet; & Superior non esset, si iniungere salubria non posset. Sed petitur, An omnes superiores habeant aequalem authoritatem? Respondet negatiuè Bernardus: & pro eius intelligentia has Conclusiones subiungo.

212 Primò *Authoritas non consistit in indiuisibili, sed habet suas extensionis & intensionis gradus*. Patet; quia sunt multa quae solent iuberi, plura quae possunt; nec tamen omnia eodem rigoris gradu praecipiuntur: alia enim praecipiuntur: lege purè poenali, alia lege, quae probabiliter obliget ad veniale tametsi sit grauis materia, alia sub culpa graui, alia denique lege mixta ad culpam simul & poenam obligante. Ecce diuersos gradus intentionis.

213 Secundò. *Diuersorum Superiorum authoritas frequentius est inaequalis extensiuè.* Patet; quia solus Deus vniuersa attingere potest, eius enim authoritas infinita est & caret limitibus. at homines à Deo limitatam participant & inaequalem. Plura alijque possunt, pauciora alij; quia sicut in aethereo firmamento

mento vix dantur duo æqualia sydera, sic etiam in politico. Plura potest Dux, Comes, Marchio, quàm Dominus particularis, plura Duce, Comite, Marchione, Rex.

214 Tertiò. *Diuersorum superiorum authoritas frequentius est inæqualis intensiuè*. Ostenditur, Nam alij possunt capere, non tamen condemnare aut dimittere; alij possunt pecunia condemnare, alij flagellis, alij etiam capite. sunt qui putent se habere authoritatem præcipiendi sub peccato veniali, quorum authoritatem probabilis opinio confirmat. Nonnulli possunt mortaliter præcipere vt Patres familias ex vi quarti præcepti decalogi; alij etiam titulo religionis; Abbati enim monachus obedit vt filius familias. & obedit ratione promissionis.

Optimè igitur asseruit noster Author præceptorum inæqualitatem ex legislatoris dignitate desumi.

Secundam inæqualitatem à materia desumi.

CAPVT XIV.

215 ET de A mandatis similiter. *Maioribus quippe maior, minoribus minor opera nostra & cura debetur; de quorum etiam* B *contemptu iuxta eandem considerationem grauior leuiorve offensa contrahitur.*

A. ET de mandatis] Legit exemplar nouæ editionis Coloniensis *est de mandatis similiter*. dele *est*. lege *&*.

B. Etiam] Hic è contrario standum est pro libro Coloniensi contra meum MS. videtur enim magis latine dici, *de quorum etiam contemptu*, quàm *de quorum & contemptu*; sed hæc diuersitas non respicit sensum, sed verba.

Nota. Multi sunt, qui aliquibus culpis materiæ paruitatem excludunt, sed re leuiter examinata: ego quidem in omni præcepto, in omni materia, cognosco venialia peccata; sed quia hæc vberiùs pertractare non permittit occasio lecturis ante paucos menses meam *Theologiam Moralem* sufficiat impræsentiarum videre mei Commentarij in Regulam Benedictinam disp. 69. numer. 1052. vbi examino, Vtrùm in voluptatibus venereis (nullę sunt magis lubricę) detur materiæ paruitas.

De præceptorum inæqualitate.

216 PRæcipua præceptorũ inæqualitas à materię quantitate dependet, non enim eodem modo in graui ac in grauissima delinquitur. Considera positiones sequentes.

217 Prima. *In materia leui non potest Superior grauiter obligare*. Est Doctorum receptissima opinio, vt ostendo num. 41. mei Commentarij. & contraria non videtur probabilis.

218 Secunda. *In materia graui non potest Superior leuiter obligare*. Est Vazquezij 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 4. *num.* 32. contra Suarium *lib.* 3. *de legib. cap.* 27. *nu.* 12. ac propterea merè probabilis.

219 Ter-

219 Tertia. *Inter materiam magnam & maiorem summa esse solet peccatorum inaequalitas in eadem specie*. Est ostenditur, nemo enim dixit esse equalia furtum centum & centum-millium ducatorum. Cæterum hec furti est circumstantia aggrauans in eadem furti atoma specie.

220 Quarta. *Circumstantiæ aggrauantes non sunt de essentia integræ confessionis, & a fortiori nec diminuentes*. Quapropter ille, qui centies-mille aureos fuisset furatus, modò haberet dolorem & restituendi propositum, sufficeret dicere, *Furatus sum grauem materiam*, *nullam determinando*.

221 Casus I. Petrus habebat consuetudinem furandi, & hac pessima inclinatione illectus post vltimam confessionem semel furatus est materiam grauem; resipiscit; & dubitat, qui debeat confiteri? hoc est, An sufficiat exprimere peccatum furti; an etiam debeat cōsuetudinis inueteratæ Circumstantiam exponere?

222 Respondeo non debere vltimum, sed sufficere primum; quia iuxta quartam positionem aggrauantes circumstantiæ non debent necessariò explicari. Quid si deberent? adhuc non teneretur; nam inueterata consuetudo indifferentiam, ac propterea diminuit libertatem, omnia autem quæ cum minore indifferentia & deliberatione committuntur, sunt minora peccata. Quid si Confessarius interrogasset, An haberet talem consuetudinem: possetne vti restrictione, & negare? Dicam liberè; multa dicuntur restrictione mentali saluari, quę restrictione non indigent, & hoc defectu examinis; at me iudice restrictio, quę verè talis sit, semper est mendacij pedisequa, & nunquam macula morali & politica caret. Si Confessarius, An talem habeas furandi consuetudinem, roget, nega liberè, & hoc sine vlla restrictione, tametsi consuetudinem habeas. Ratio est, Quia illud tribunal institutū est pro peccatorum examine, iudicio, correctione; ergo semper Iudex inquirit & examinat res grauiter peccaminosas. Cùm autem Confessarius interrogat an habeas furandi consuetudinem, censendus necessariò est interrogare vt Confessarius, hoc est, iuxta authoritatem sibi diuinitus concessam. Ergo censendus est petere, An habeas furandi consuetudinem quę sit grauiter peccaminosa? Cùmque non habeas talem, sed potiùs quę peccata diminuat, indifferentiam arbitrij remittendo, verè interrogationi respondes si te illam habere neges. Hoc vt confirmem subijciam verba Bannez secunda secundę de iure & iustitia quest. 69. art. 2. dub. 1. concl. 2. qui sic ait: *Quando aliquis iam est confessus in foro conscientiæ homicidium quod fecit, & postea in alia confessione interrogatur à Confessore, An commiserit homicidium? verè respondet* (nota bene) *ego non commisi homicidium. quia intelligitur ex circumstantijs, quod pertineat ad tuum forum modò*.

Casus II. Ioannes petijt à Paulo confitenti, vtrùm aliquando leuiter mentitus fuisset? petitur qui debuerit Paulus respondere?

223 Resolutio huius casus pendet ex resolutione precedentis. Cùm enim non habeat Confessarius authoritatem cogendi penitentem ad declaranda venialia peccata, censendus est excedere limites suę iurisdictionis; ergo Ioannis interrogatio ęquiualeret huic, *Commisistine leue mendacium, quod grauiter esset peccaminosum? vel quod necessariò ad hoc forum pertineat?* Respondet Paulus *Non*. & quidem verè, non enim potuit tale mendacium commisisse.

224 Casus III. Confitebatur Ambrosius se furatum fuisse grauem materiam, cùm verè fuisset furatus mille aureos; petenti confessario, vtrum illa materia cētum patacones excederet, respondit absolutè negando. Petitur, Vtrùm sit in confessione mentitus?

225 Con-

225 Constat ex dictis quòd legitimè potuerit negare, & hoc sine mendacio & restrictione. sciebat Ambrosius quòd confessarij non possunt pœnitentem cogere vt circumstantias aggrauantes exponat: debebat credere se interrogari a Confessario qua Confessario: ergo se interrogari de peccato graui commisso: Cumque ille excessus non sit peccatum mortale, sed peccati mortalis iam confessi, vt supponitur, tantitas, potuit illum negare, non enim in excessu illo peccauit nouo peccato mortali.

226 Nota. Hęc dicta sunt, pro Confessarijs imprudentibus, qui vexando pęnitentes limites suę commissionis excedunt; hoc pro pęnitentibus, qui ad huiusmodi miserias adiguntur, vt debeant respondere imprudentibus interrogationibus. Animaduertendum tamen est sæpe contingere totam materiam confessionis esse ambiguam & dubiam aut constare expositione actuum imperfectorum purè naturaliter. & vt verbo dicam, talium, qui non sint capaces sacramentalis absolutionis; tunc autem ne negetur absolutio, quę concedi non potest; piè & christiane petitur, certa materia, etiamsi opus fuerit aliquod genus valde obuium & leue determinando, ne pœnitens hæreat; tunc tamen pœnitens non tenebitur dare materiam quam Confessarius postulat, sed quamcumque voluerit, & si dederit, poterit legitimè absolui.

Tertiam preceptorum inaqualitatem desumi à voluntate pracipientis.

CAPVT XV.

227 *Porro maiora, minoraq; mandata dixerim, secundum quod magis minusue velle constiterit ipsum qui* A *præcepit, siue hominem, siue Deum, Est verbi gratia mandatum,* (Marc. 10.) *Non furaberis; & est mandatum* (Luc. 6. 2.) *Omni petenti te; da: Vtrumq; quidem magnum, quoniam vtrumq; diuinum; sed de non furando maius. Quis enim nescit æquissimo Deo non æquè displicere tenaces, atq; fures, & quia de duobus malis plus velit nos tenere nostra, quam tollere aliena, & ita minùs peccare qui non tribuit sua, quàm qui non sua furatur? Sed mandatis hominum rara æqualitas inuenitur cùm pro varijs necessitatibus vel vtilitatibus agendorum iniungentium affectio varietur: quodque putauerint rectius vel commodius, hoc ampliùs cupiant & exigant obseruari. Iam ergo qualitas præceptorum quam authoritas præcipientium & obedientiæ præfigit metam, & inobedientiæ terminat culpam,* B *quoniam, (vt dictum est) in Prælatis quibusue* C *grauioris authoritatis, & eorum mandatis quibusque maioris vtilitatis, quò diligentior debetur obsequendi cura, eò & culpa grauior incurritur de contemptu. His itaque distinctionibus animaduersis, & obedientiæ modus, & pondus inobedientiæ facile reperitur. His gradibus non solùm inter diem & noctem, hoc est bonum obedientiæ, & inobedientiæ malum discernitur; sed etiam inter diem & diem, itemque inter noctē & noctem, inter bonum videlicet & melius, inter malū & peius.*

a. Præcepit] ſed & impreſſi libri habent *præcipit*.

b. Quoniam] ſic habent mea MSS. à quibus corrigenda veniunt impreſſa, vbi legimus *Quando* ſine ſenſu.

c. Quibuſque] Aliàs *Quibuſue*.

Nota. Multi conati ſunt ex hoc capite probare, peccatorum quorumuis grauitatem à ſola voluntate Legiſlatorum Bernardi ſenteutia dependere, poſſeque omninò illos obligare ſub mortali in materia leui, & ſub veniali in graui. Benigniùs alij maluerunt Authorem noſtrum crediſſe poſſe quidem Legiſlatorem obligare leuiter in materia graui, non tamen grauiter in leui. Tandem alij exiſtimant S. Doctorem iudicaſſe non poſſe Legiſlatorem obligare grauiter in materia parua, nec in magna leuiter. Sanè ſi ſincerè literam noſtri Præceptoris examines, reperies primam de eius mente ſententiam eſſe omnino improbabilem, ſecundam probabilem, ſed vltimam probabiliorem.

De extrinſeca limitatione materiæ.

228 MAteria per ſe ſufficiens ad peccatum mortale trifariam limitari poteſt; nimirùm, re, ratione, & affectu. Realis limitatio ab affectu ipſo ſumitur; puta ſi ſedecim regales ſupponantur materia grauis & Petrus furatus fuerit ſex. Secunda deſumitur ab inaduertentia putans ſe duos furatum. Et hæ duæ limitationes determinant quantitatem ſubſtantialem & entitatiuam peccatorum. Veniale enim à mortali diſtinguitur propter materiam cognitam. Non enim erit graue peccatum (erroneam conſcientiam excipio de qua ſuo loco) ſi materia phyſica ſit leuis; nec ſemper erit graue, cùm grauis. Voluntas ratio peccandi eſt, nec res phyſicas appetit, ſed cognitas. Inaduertentia poteſt facere vt aliquid ſit & non cognoſcatur; ad aduertentia & vigilantia non poteſt facere quod cognoſcatur & non ſit: ergo aduertenti non poteſt plus quam totum cognoſcere, at cognoſcere minus quàm totum poteſt inaduertentia. Igitur materia quà cognita diſtinguit peccatum veniale & mortale.

229 Affectus intenſio & remiſſio auget peccati quantitatem, non eſſentialiter & entitatiuè, ſed accidentaliter & extenſiuè. Quia ſicut quantitas rarefacta non eſt maior condenſa tametſi maius ſpacium occupet: ſic etiam homicidium factum à voluntate intenſa non erit grauius entitatiuè, ſed erit maius ſecundum intrinſecam extenſionem, quam ab intentione intrinſecæ voluntatis deſumit. Ergo ſicut remiſſio aut intenſio non multiplicat partes materiæ & formæ, nec ex materia parua facit magnam, nec ex magna paruam; ſic odij deliberati intenſio aut remiſſio non faciet quòd actus mortalis tranſeat in veniale, nec contrà; faciet tamẽ quod in ſuo genere inuariata entitatiua magnitudine habeat maiorem præſentiam intrinſecam, & quaſi moralem quandã intrinſecam rarefactionem.

230 Sicut intrinſecus operãtis affectus moraliter intrinſecè rarefacit peccati quantitatẽ, ſic etiã Legiſlatoris voluntas moraliter extrinſecè; illæſa tamen magnitudine & qualitate ſubſtantiali.

231 Hinc intelligendus eſt noſter Author, & ſciendũ, qui poſſit vnus & idem Legiſlator circa eamdem materiam vna & eadem lege grauiùs & grauiùs obligare? Non enim ipſius eſt velle obſtringere grauiùs aut leniùs, hoc enim à materia quà cognita dependet; ſed ipſius eſt remiſſiùs velle, aut intenſiùs velle obligare ſubditum iuxta quantitatem materiæ. quæ quidem voluntatis præcipientis intenſio quantitatem peccati nõ auget entitatiuè, ſed eãdem morali-

moraliter rarefacit & immultiplicatam extendit. Interim grauem controuersiam, alibi latiùs deducendam sequentes Positiones dilucident.

232 Prima. *Peccatum, prout à mortali & veniali abstrahitur, est actus contra legem Diuinam.* Nomine actus tam intelligo actum voluntatis aut linguæ, quam externi operis; vnde pulchrè Augustinus docuit peccatum esse *factum, dictum, aut concupitum, contra legem Diuinam*, Sed cur contra Diuinam? An non & humanæ possunt obligare moraliter? minimè si à Diuina præscissæ. Obligant aliquando sed tota ratio obligandi Diuina lex est, præcipiens vt & votis stemus, & Præpositis nostris obediamus.

233 Secunda. *Actus peccaminosus intrinsecus dicit suam entitatem physicam, quæ nec moraliter bona nec moraliter mala est. Extrinsecus dicit habitudinem ad legem, ad virtutem contrariam, ad obiectum, ad operantem, & ad interdicentem.* Quia opponitur legi diuinæ peccatum genericè est; quia tali legi contrariatur, pertinet ad talem speciem. Quia versatur circa obiecti materiam paruam, veniale est; & cùm circa magnam, mortale. Si nascatur ex maiori malitia & à maiori studio & conatu procedat, accipiet accidentalem eamque intrinsecam grauitatem. Si autem maiori cura & studio interdicatur, accipiet maioritatem extrinsecam accidentalem.

Obedientia in bonam, meliorem, & optimam diuiditur.

CAPVT XVI.

234 BOnus *quidem obedientiæ gradus est, si iuxta magistri nostri sententiam* (Cap. V.) *propter metum gehennæ, seu propter sanctam professionem quam professus est quispiam obedierit; melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis. Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo opus iniunctum* vv *recipitur, quo & præcipitur, Cùm enim ex voluntate iubentis pendet intentio exsequentis, fit vt nec maius minoribus, nec minus maioribus confusè, vt assolet, ad implendum quod iniungitur, subiecti studium impendatur; sed moderante animo quæque pro sua dignitate imperia sciat* vv *modum vtrobique seruare, tam in obseruando videlicet iussa, quàm in cauendo prohibita; non quod vel minimum horum quæ iubentur contemnendum putet, etsi tamen minimum, quod minimum est, reputet; sed* A *minimum ex comparatione maiorum.*

A. Minimum ex]· Multi libri impressi *Minimum est ex.*
vv. Varia eorumdem verborum coordinatio.
Nota. Multa hic noster author Mellifluus contra eos, qui medium tenere non volunt. *Non quod vel minimum horum, quæ iubentur, contemnendum putet.* Non

vult parua contemni, nec æquari maioribus, sed magna fieri magni, parua parui, neutra nihili.

De obedientia nimia.

235 OPtimum obediendi modum definit noster Doctor illum Religiosum seruare, qui eo animo opus iniunctum recipit, quo iniungitur. Sed si dubitas, Quidnam sit opus iniunctum recipere eo animo omnino quo iniungitur; respondet Bernardus, & dum mentem suam explicat, controuersiam excitat difficiliorem. Tunc perfectè obediri, inquit, cum nec maius minoribus, nec minus maioribus præceptis implendis studium impenditur. Hic tu: ergo teste Bernardo imperfectè obedit, qui maiorem diligentiam adhibet quàm lege exigitur. Ergo laudanda venit ignauia, & iners commendanda desidia. Concedo primam, & nego secundam consequentiam: virtus enim in medio consistit, nec potest ad virtutem conducere affectus qualiscumque extremus. *Noli iustus esse multùm*, inquit Ecclesiastes 7. 17. nec bene intellectus, tametsi frequentissimè auditus. Sed illi meus Bernardus lux. Multùm, imò, nimiùm vult esse iustus, qui legem superstitiosè obseruat; obseruatque superstitiosè, tam qui negligentiùs res graues exsequitur, quàm qui diligentiùs res leues. Et quia negligentiam culpam esse non dubitas, ostendam vera dixisse meum Authorem nimiam diligentiam condemnando. Inquiro, An sine imprudentiæ notarem leuem præciperet legislator sub graui culpa, sub pœna graui? an sapienter æquale studium exigeret in rebus absolutè inæqualibus? Et respondebis negatiuè. Cùm enim rem leuem vult esse obnoxiam graui pœnæ vel culpæ, prætergreditur authoritatis terminos; imprudentiamque suam ostentat cum minimis magna confundendo. Omnia studium & diligentiam postulant, vt finis media; numquam autem vidimus ab inæqualibus finibus media requiri æqualia, est enim summa prodigalitas summis curis impensis in finem leuem anhelare. Ergo si nequit Legislator grauem diligentiam exigere cùm leuia præcipit, ni velit notam imprudentis incurrere, tu quidem qui grauem diligentiam impendis ipsi Legislatori iniurius es, supponis enim eum imprudentem esse & hoc quidem nonnisi imprudentissimè. Rem exemplis crebris illustremus.

236 Capite 43. Benedictinæ Regulæ exstat lex; *Ad horam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen.* Verba rigida sunt & rigorosa, non tamen exigunt nimiam obedientiam. Vellet esse nimis iustus, qui hanc legem imprudenter & superstitiosè obseruaret. Pone Petrum audire sacramentalem confessionem, Paulum celebrare, Antonium agere cum aliquo amico vel ægroto, Franciscum ferre aliquod vas immundum ad secessum; audiatur signum, eundum sit ad Ecclesiam. Quid agent isti religiosi, vt textui legis satisfaciant? Debebitne Petrus, mox vt auditum fuerit signum pœnitentem, Paulus altare, Antonius Amicum, Franciscus vas illud immundum in medio claustro relinquere, vt summa cum festinatione curratur, & obligationi satis fiat? minimè. Imò errarent si facerent, non enim eo animo (vtor labio Bernardi) opus iniunctum reciperent quo & præcipitur. Cùm enim ex voluntate iubentis, qui semper præsumendus est prudens, pendeat exsequentium intentio, non debet maius minoribus, & minus maioribus, confusè vt assolet, studium subiectorum impendi: sed moderante animo & ratione extrema omnia fugien-

fugiente sciant modum vbique seruare; n[on] quidem contemnendo, sed adhibendo ordinariam & proportionatam, non verò extraordinariam & improportionatam diligentiam. Hinc lux aliquibus difficultatibus.

237 Casus I. In Monasterio N. Ordinis Cistertiensis, in quo iuxta laudabilem loci consuetudinem permittitur vt semel saltem in triennio singuli Religiosi egrediantur & parentes aut amicos inuisant, degebat Albericus iam senior, qui numquam fuerat egressus à die suæ vestitionis. Consulor ab Abbate, An illa singularitas debeat tolli; an laudari?

238 Me iudice suspecta est quæcumque singularitas, & in communitate bene gubernata, vbi sanctè & religiosè viuitur, tolerari non poterit sine grauibus inconuenientibus. Egredi ex monasterio cum licentia aut præcepto bonum est, & melius quam sine præcepto remanere; ergo vt ille Religiosus habeat meritum obedientiæ, vt non appareat nimis iustus, & vt cesset occasio murmurandi, in posterum etiam mittatur, vt alij religiosi; in corpore enim politico monstrositas est omnis singularitas. Gygantæum caput bonum est, non tamen corpori Pygmæo; sic etiam illa claustri obseruantia secundum se non est mala nec mala esset in communitate à qua obseruaretur; sed cùm non sit obligatoria, si in communitate ponatur, in qua cum reliquis membris non cohæreat, reddet imperfectum & monstrosum illud corpus politicum, & indigebit correctione.

239 Casus II. In Monasterio B. cum diebus laboris iuniores ientandi facultatem de more peterent, Anselmus nec talem facultatem petebat, nec ientabat: erat quidem Anselmus bene moratus iuuenis & mortificationis studiosus. Sed Præpositus monasticæ rei expertissimus, in hac actione præter singularitatem quæ mala erat, superbiolam aliquam pedisequam latere iudicans, præcepit vt in posterum & licentiam cum reliquis peteret, & quia cum reliquis operabatur, etiam cum reliquis ientaret, si velis Præpositi decretum ad libram reducere, respondeo prudentissimum fuisse; non enim in bene disciplinato monasterio debet tolerari singularitas, tunc enim perniciosior est, cùm serpit sub virtutis specie.

240 Casus III. Paulus cùm sonabat primus ictus signi ad matutinas cubiculum præcisè aperiebat & ad Ecclesiam festinabat: laudabimus?

241 Noto illud *præcisè:* hæc singularitas non est humana diligentia, sed superstitio. An non deberet multum tempus impendere, vt horam expectaret, similis egressuro. ad quid hoc? Duplex signum fit ad matutinas; diligens est, qui ante secundum signum fuit chorum ingressus. Qui maiorem diligentiam adhibet, non recipit opus qua intentione iniungitur, quia si vellent Superiores omnes sub primum signum adesse, statim inciperent, secundum non fieret, & punirentur qui ante primi signi finem non venirent.

242 Omnia hæc quæ diximus, & quę per analogiam subiungere possemus, exponit ipsamet Sancta Regula cum de gradibus Humilitatis agit Cap. VII. *Octauus Humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.* Sed quia singularitatis studiosi, cùm hac lege torquentur, verba obtorquent, subiungam breuem commentarium. Vt existimo, nomine Monasterij intelligit D. Benedictus illud quod sit bene ordinatum; nam si, quod Deus auertat, ex nefarijs coalesceret, non esset tutum obsequi communes Monasterij mores. Benè autem ordinatum Monasterium id dicitur, quod habet bonas leges, quas nemo transgreditur impunè: ergo Monasterij benè ordinati communis Regula, nihil erit aliud

quam

quàm communis viuendi norma & consuetudo, qualem suis exemplis nos docet conuersatio seniorum. hi sunt, qui maiores dicuntur, quia cùm ad digniores recurritur oberratur, non enim omnium est iudicare de sanctitate & dignitate, at omnibus nota ætas & antiquitas, quæ perseuerantiæ laudabili coniuncta ratione longioris experientiæ sustinet rigorem Monasticum, qui corrueret omnino, si non essent seniores, qui Athlantis instar illum sustinerent, & contra iuniorum singularitates & imprudentiam defensarent.

Decalogum, etiam quoad secundam tabulam, grauiter obligare.

CAPVT XVII.

243 N*Ouit verus, humilisque obediens & minima non contemnere, & maximè curare quæ maxima sunt, intimo quodam deuoti, sincerique animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum Propheta.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. *Vbi quia non dicit vniuersaliter omnia, illa tantum oportet intelligi, quæ quoniam non sine grandi* A *culpa quacumque occasione violantur, ideò non sine graui pœna quomodocumque violata donantur; vt puta, non occides, & si qua huiusmodi sunt, quorum numquam potest esse obseruatio iniusta, vel mala; numquam bona licitaue transgressio, dispensatione dumtaxat humana.*

A. Grandi] Sic habent mea MSS. Sed alia exemplaria præcipuè impressa habent *graui*.

Nota. Multorum Lutheranorum sententia tota secunda legis tabula obligat sub peccato veniali, quod ipsum Hæresiarcha ipse ita attenuat, vt in suo genere magnum non sit; putant enim violationem prioris tabulæ, cùm materia est leuis, maiorem adhuc deformitatem imbibere, quàm Homicidia, Fornicationes, Furta, & reliqua, quæ tabulæ secundæ opponuntur. Hi quidem licentiosissimi Nouatores, possunt opprimi testimonijs Bernardi asserentis secundam tabulam etiam obligare ad mortale.

Regulam Benedictinam ante Abbatis speciale præceptum in foro exteriori obligare.

CAP. XVIII.

244 C*Ætera quæ vel à Præpositis dispensationem admittunt, quia leuiori censura neglecta puniuntur, leuiora dicuntur. Ex his verbi gratia dico esse vel risum interdictum, vel indictum silentium. Hæc siquidem si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt; accedente mandato, si quominus iam obseruantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen; ita sanè si per subreptionem aut obliuionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit. Media quippe sunt è quibus illa videlicet præcepta constituuntur, quæ vos factitia nominatis; longè vtique disparem à naturalibus quantum in ipsis est ingerentia necessitatem; cum tamen nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine vel ipsa queant; iniuncta ab his dumtaxat, quibus propriè dicitur:* [Luc. 10.] Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. *Licet namque ipsa per se iniuncti operis qualitas innoxia sit, adiuncta tamen Authoritatis pondus, obnoxium mãdato, mandatumque peccato obnoxium facit, non magno tamen, si contemptus defuerit. Hæc ergo generalis regula sit vniuersorum quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut diuina institutione, aut propria* A *vnuscuiusq; professione fixa non sunt; vt non iussa quidem licitè vtrumlibet vel admittantur vel omittantur, iussa verò sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est.*

A. Vnius cuiusque] Hæc est nostrum Chirographorum lectio, quam sustineo tametsi *propria cuiusque* in libris pluribus legatur.

B. Quantum in ipsis est] si velis aliquorum MSS. veterem manutenere lectionem, nimirum. *Quantum in ipsius est*, dabis illius genitiui rationem, quam non adsequor.

C. Vltimæ periodi huius capitis videntur fauere sententiæ, quæ actiones liberas & indifferentes admittit. Si enim omnia ex se aut mala aut bona essent, nulla indifferentia possent dari.

An Regula obliget mortaliter ante præceptum.

245 RECurrit sępissimè eadem quęstiò, & eadem resolutio, nimirum, Vtrum ea, quæ continentur in Regula obligent ante præceptum Superioris? Probaret negatiuam superius efficaciter meus Author ex ipsamet formula professionis, in qua hoc quod est *promittere obediētiā secundum Regulam*, ab eo quod est *promittere obediatiā Regulæ*, solidè & pulchrè distinxit; nũc resumit probata, & exponit. Silentium Capite 6.7. Regulæ indicitur, Risus Capite 4. in-

interdicitur, & tamen Bernardus sic inquit, *Hęc siquidem, contra mandatum nō veniant nec peccata sunt*, [Infero. Ergo omittere ea quę iniunguntur in Regula, & facere quæ inhibentur, si non adsit Superioris mandatum non est peccatum mortale.] Progreditur. *Accedente mandato, si quominus iam obseruantur, in peccatū reputantur, non tamen in crimen, ita sane si per surreptionem aut obliuionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit*. Ergo posito adhuc pręcepto, ridere, iocari, fabulari, crimen non est. ita expresse Bernardus; ita & ego.

246 Sanè loqui & ridere [sunt res leui tempore factæ, nec largo fieri contingit propter superiorum vigilantiam & seueritatem, qui garrulitates non permittūt] tametsi latam legem temerent, crimina, hoc est, peccata mortalia dici non possunt; sunt enim peccata quidem, sed minora criminibus, ac propterea venialia aut pœnalia; pœnalia, si militent contra pœnalē legem; venialia, si contra moralē. Cū autem in bene disciplinatis monasterijs nō sint necessariæ morales illæ leges, quæ conscientias ligant secundum materiæ quantitatem [nempe grauiter, si materia sit grauis; & leuiter, si leuis.] negligentiæ omnes regulares, siquidem præceptum purè pœnale violare dicuntur, nec erunt crimina, hoc est mortalia, nec venialia; sed reatus extrinsecæ correptioni obnoxij. *Notandum est*, D. Bernardum etiam leuium rerum incriminari contemptum; mortale enim apud ipsum peccatum est contemnere vel leue præceptum, tunc enim non tam res pręcepta omittitur, quam despicitur authoritas imperantis.

247 Sed ais D. Bernardum non agere de rebus contentis in Regula, sed de illis quæ sunt extra Regulam, ideòque extra regularia vocantur: & probas, quia cum regulam hanc vniuersalem proponeret, sic inquit, *Hec ergo generalis regula sit vniuersorum, quæ per se, aut propter se, nec bona nec mala sunt, aut diuina institutione, aut propria vniuscuiusque professione fixa non sunt, vt non iussa quidem licitè vtrumlibet, vel admittantur vel omittantur, iussa verò sine culpa* (pœnali aut veniali) *non negligantur, sine crimine* (mortifero) *non contemnantur*. Vbi notas illud, *propria vniuscuiusque professione fixa* & subsumis; D. Bernardus non agit hic de rebus, quæ sunt propria vniuscuiusque professione, fixa; atqui omnes regulares propria singulorum professione sunt fixa: igitur non agit de regularibus: ergo de vltra regularibus.

248 Respondeo nostrum Authorem constanter tenere Religiosum ad vltra regularia non posse validè obligari, vt vidimus sæpe superiùs: at regularia ipsa in fixa & figibilia diuiduntur. Fixa sunt, quæ de facto obligant; figibilia, quę possunt. Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ obseruatio, fixa est professione monastica, actualiter enim obligat omnes Religiosos; at obseruantiæ omnes corporeæ, tametsi regulares, fixæ non sunt sed figibiles, quia non præceptæ sed præceptibiles, & variabiles, & dispensabiles; figibiles tamen, quia possunt reddi fixæ, si interueniat præceptum Superioris. Quæ omnia sic debere defendi, demonstrat armonia vniuersarum periodorum, quas legimus in D. Bernardo. Paulò antè dixerat, *Licet namque per se iniuncti operis qualitas innoxia sit, adiuncta tamen authoritatis pondus obnoxium mandato, mandatum peccato obnoxium facit, non tamen magno, si contemptus defuerit*. Hoc est; Qualitas operis, tametsi per se considerata innoxia sit & non obligatoria, nec fixa: tamen cum accedit pondus authoritatis fit obnoxia mandato, & redditur præceptibilis; & si accedat mādatum, fit præcepta ideòque obnoxia peccato, non tamen magno si non negligatur per contemptum.

Con-

Contemptus à neglectu distinguitur.

CAPVT XIX.

249 **D***Ifferunt autem*, A *quòd neglectus quidem languor inertiæ est; contemptus verò superbiæ tumor. Porrò contemptus in omni speciè mandatorum pari pondere grauis & communiter damnabilis est; neglectus* B *verò in fixis grauior, tollerabilior in mobilibus mandatis. Siquidem adulterium quocumque modo, quocumque perpetres animo, semper* C *flagitium est, ac criminale peccatum; cum tamen leue verbum in tempore vel loco silentij, fortè per obliuionem subreptum, risusve per impetum magis excussus quàm præsumptus contra præceptum, quod vtique animi negligentis, aut dissoluti spiritus indicium est, eo facillimè veniam* D *promereatur, quò vix vel peccatum reputatur.*

A. Differunt] Multa MSS. habent *Differt*, alia *Differunt*; quorum lectionem existimo veriorem.

B. Neglectus verò] Retine hanc lectionem tametsi in multis *Neglectus autem* legas.

C. Semper] Pro voce *Semper* reperio in multis Exemplaribus *Turpe*; si vtramque componas, legas sic, *Adulterium, semper turpe flagitium est*.

D. Veniam promereatur] Alij legunt, *Promeretur*. Sed quid, Peccata promerentur veniam? An non ipsa pœnam, & pœnitentia promeretur abolitionem peccatorum? Sanè si *promereri* rigorosè sumatur, nec peccata merentur, nec benè diffinitur veniale, quod facilè veniam promerebitur; nec benè loquitur Ecclesia, cùm ait, *O verè felix Adæ peccatum, quod talem ac tantum meruit habere Redemptorem*; errat & Bernardus in præsenti admittens peccata, quæ facillimè veniam mereantur; sed quia *promereri* sumitur latè pro eo quod est *adsequi*, sustineri debet & pientissima exclamatio Ecclesiæ, communis venialis peccati diffinitio. nec non Resolutio Bernardi.

An inuoluat contemptum consuetudo peccandi?

250 **P**Rior quidam, dum in capitulo subditum ob communes negligentias carperet, eum ausus arguere de Regulæ contemptu, affirmauit non posse non dici taciturnitatis indictæ à S. Regula contemptorem, qui omni loco & tempore paratus ad loquendum dignosceretur, & ad seruandum silentium imparatus. Turbauit vniuersorum animos tametsi diuersa sentientium. Alij credentes contemptum non distingui à consuetudine peccandi, inceperunt scrupulis varijs vrgeri; alij autem scandalizari audientes in sede veritatis mendacium, & ab ore protectoris calumniam. Dum ipsi inter se amarè disceptant, nos dulcem

Mellifluі Doctoris resolutionem audiamus.

251 Cùm præcipiuntur regularia, vbique est culpabilis neglectus, contemptus damnabilis est; sic S. Doctor in fine capitis antecedentis. Nunc resumit calamum & ne scrupulus aliquis maneat neglectum à contemptu distinguit. *Differt*, inquit, *quod neglectus quidam languor inertiæ est; contemptus verò, superbiæ tumor*. Ergo quotiescumque ex fragilitate quis labitur obiecti dulcedine illectus contemptor vocari non potest, licèt delinquat frequentissimè. Nam si Petrus sit garrulus, & verbositate recreetur, modò solam suam delectationem quærat, aut mortificationem refugiat, indictam legem silentij non contemnit; at verò si non respiceret legis materiam, sed formam; si vellet directè Prælatum confundere & spernere, & ideo quæreret materiam in qua posset illum despicere, esset arguendus de contemptu.

252 Hinc constat Priorem illum grauiter errauisse, de graui arguendo crimine eum, qui forsitan ne leuiter quidem peccarat. In Monasterijs non solet silentium in virtute Sanctæ & deuotæ obedientiæ iuberi, sed sub lege pœnali; ideòque qui legem violant, iudicantur obnoxij sententiæ regulari. Si quando contingat moraliter indici, qui legem violet reus est, sed peccati leuis ni materia sit magna, aut intendat non tam garrire quam despicere Legislatorem, quod vix vnquam accidit.

An habenti consuetudinem peccandi neganda sit Sacramentalis absolutio.

253 Paulo pœnitenti negauit absolutionem Confessarius, quòd semper eadem crimina confiteretur, ideòque videretur illud sacramentum contemnere.

Sed iudico id fieri non posse. Paulus enim non confitebatur se habere peccandi consuetudinem; hæc enim; vt superiùs vidimus, peccatum non est. Ergo confessarius memoria præcedentium confessionum abusus subesse talem peccandi consuetudinem obiecit pœnitenti; & hoc contra sigilli sacramentalis securitatem. Nec ex peccatorum multitudine bene inferebat sacramenta contemni, deberet enim potiùs inferre illum esse valde fragilem & ægrotum, ideoque sacramentis, vt salutem & robur reciperet, indigere.

254 Sed obijcis, non posse intelligi peccandi venialiter consuetudinem sine contemptu, & probas D. Bernardi verbis ex Capite 28. desumptis. Vbi sic inquit, *Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum; & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cùm per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem*. Ecce teste Bernardo peccandi venialiter consuetudo nascitur ex contemptu. Ergo vbi reperiatur contemptus proles, eumdem reperiri necessarium est.

255 Respondeo Bernardum non asserere omnem consuetudinem nasci ex contemptu, sed ex contemptu nasci peccandi consuetudinem quod non negamus. Lapsuum enim frequentia quandoque ex fragilitate & subreptione, quandoque ex contemptu & superbia suboritur: cùm ex fragilitate, pensanda est peccati quantitas & species;

cùm ex superbia & præsumptione, omnes præuaricationes sunt media & attinguntur materialiter ab operante qui collimat in vnam & solam Prælati confusionem; vnde optimè subiungit, *Et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensantur: elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obstinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen grauis rebellionis nauum satis leuem simplicis transgressionis.*

De actionibus otiosis, qualiter ab indifferentibus differant?

CAPVT XX.

256 Q*Vid cum* A *scienter, & ex deliberatione* B *in verba otiosa, silentio licet non indicto lingua laxatur? Numquid hoc tamen neget quispiam vsurpari contra regulam veritatis? Vnde nimirum & ratio exigenda est in futuro iudicio, Iudice ipso terrificè admodum* [Matth.14. c.] *comminante, quia de omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij. Heu nobis quænam* VV *poterit ratio* VV *reddi de otio? Alioquin otium non est, si non omninò ratione vacuum est. Et tamen quis nesciat vnum detrectationis verbum quantum etiam innumeris talibus, id est, otiosis præponderet ad delictum, meritumque damnationis? Quid ita? Videlicet, quia discretio est in mandatis consequenter & in culpis; vt sicut dixerim, maiorum grauior, leuiorque minorum censeatur transgressio peccatorum: sed mandantium non ita.*

A Scienter] Multa MSS. antiquissima habent *scienter*, sed omninò mendosè restituendum enim est ex libris impressis *scienter*, aliàs enim non subsisteret sensus.

B Legebam in nonnullis MSS. *Quid cùm scienter ex ratione in verba otiosa silentio licet non indicto, lingua laxatur.* Et non intelligebam; verba enim, quæ otiosa sunt, ex ratione non sunt; & ex ratione orta, otiosa vocari non possunt. Volebant aliqui hanc interpretari sententiam, sed semper remanebat obtorta semper coacta, ac propterea vacillans: cessauit tamen quæstio exemplarium aliorum collatione, quæ nobis pro *ex ratione* dederunt *ex deliberatione*.

VV Hic omnes libri, quos examinaui, habeat easdem omninò dictiones, tametsi non coordinatas eodem modo.

Verbum otiosum à detrectatorio, interdicto, & indifferenti distinguitur.

REddituris rationem in tribunali Dei, vel de vno verbo otioso proderit videre quid sit otiosum verbum ad mentem Mellifini Præceptoris.

257 Fuerunt aliqui, qui actiones otiosas cum interdictis confuderunt, credentes nihil otiosum dici posse, quod lege prohibitum non sit. Vt probarent, ad actiones indifferentes recurrerunt, quæ omni bonitate nudæ, tamen malæ non sunt, sed neutrius generis, & ideò dicuntur indifferentes esse. Sed contra eos Bernardus admittit otiositatem in actionibus etiam ab omni interdictione præcisis, ait enim, *Quid cùm scienter & ex deliberatione in verba otiosa, silentio licèt non indicto, lingua laxetur.*

258 Alij otiositatem cum detractione confuderunt opinantes otiosum verbū dici non posse ni detractorium esset. At Bernardus hæc duo vitia distinguit & comparat, & ait, *Quis nesciat vnum detractionis verbum, quantum etiam innumeris talibus, id est, otiosis præponderet ad delictum meritumq; damnationis?* Innumera igitur, teste Bernardo, verba otiosa leuiora sunt vno & solo verbo detractorio.

259 Vt igitur altè otiositatis ideam intelligamus, audienda est Mellifui Doctoris expositio, *Otium*, inquit, *non est, si non omninò ratione vacuum est.* Noto illud *omninò*, & infero. Ergo actio, quę vel leuiter rationalis sit, si nihil contra rationem contineat, otiosa non est. Quod vt meliùs percalleas, suppone actus humanos bifariam a ratione vacare; nimirum positiuè & negatiuè: siue quod idem prorsus est, contrariè & contradictoriè. Vacant à ratione positiuè & contrariè, cùm sunt contra rationem: vacant contradictoriè & negatiuè, cùm nec secundum, nec contra rationem sunt. Infers: Ergo primo sensu verbum otiosum idem erit, quod interdictum, ergo secundo idem omninò, quod indifferens. Sed nego vtramque consequentiam. Nam me hanc chartam, quam argumentosè delineo, igni mandare cōtra rationem est, & tamen interdictum non est, & actiones omnes animales, quæ iudicium præueniunt & indeliberatæ dicuntur, carent omni ratione, & tamen humanæ non sunt, ac propterea nec indifferentes; nemo enim dixit actus canis indifferentes esse, indifferentia enim est moralitas, cuius non sunt capaces operationes non humanæ, & illæ, quæ indeliberatæ sunt, tametsi hominis, humanæ non sunt, non enim sunt homini quà liberi, & homo præcisus à libero arbitrio non est homo in actu secundo, vt omnes Philosophi admittunt. Vt ergo discrimen verbi indifferentis, detractorij interdicti & otiosi cognoscas, Theses subsequentes considera.

260 Prima. *Verbum interdictum est, illud, quod militat contra legem interdicentem verba quà verba.* Aliter: *est illud, quod militat contra legem indicentem silentium.* Hinc patet, bona etiam verba posse laborare interdicti malitia, si sint in tempore aut loco silentij prolata. *Bona* inquam, quia, qui silentium indicit, omnia verba interdicit; & qui interdicit omnia, ne bona quidem & officiosa verba exceptat: vnde in Regulæ Capit. 6. *Faciamus*, inquit supremus noster Legislator, *quod ait Propheta: Dixi custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Hic ostendit Propheta; si à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri; quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari. Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ędificationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia.*

261 Se-

261 Secunda. *Verbum detractorium militat contra legem interdicentem non quidem verba quà verba, sed quà nociua honori proximi*. Talia sunt, quæ honestam proximi opinionem denigrant & infamant.

262 Tertia. *Verbum otiosum est idem quod ridiculum, si sine causa profundatur.* Ita illud D. Benedictus Cap. 6. Regulæ exponit: ait enim, *Scurrilitates verò, vel verba otiosa & risum mouentia æterna clausura in omnibus locis damnamus; & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus*. Consulto dixi, *sine causa*; prudentia enim dictat, vt subridendo nonnunquam proximum doceamus; vnde vetus Poeta:

——— Ridentem dicere verum
Quis vetat?

263 Cum igitur in verbo interdicto condemnetur ipsa verbi substantia ratione sui, in detractorio condemnetur ratione nocumenti, quod infert; in otioso ratione scurrilitatis & immodestiæ qua afficitur, supererit verbum indifferens ab his imperfectionibus abstractũ; de quo sit Thesis.

264 Quarta. *Verbum indifferens illud est, quod nec militat contra legem silentij, nec proximo nocet, nec modestiæ opponitur, nec tamen ad aliquam virtutem ordinatur*. Aliter, *Quod nec opponitur virtuti, nec vitio*.

265 At dices verbo indifferenti sic exposito competere definitionem verbi otiosi, quam didicimus à D. Bernardo. Et nego; non enim omnino ratione vacuum est ab omni malitia inter loquendum abstinere; huiusmodi enim abstinentia rationabilis est, & tamen nec ad specialem virtutem pertinet, nec speciali vitio opponitur, & ideò specialem bonitatem non habet, sed generalem. Quamobrem asserendum est, verba indifferentia esse bona bonitate moraliter generali, vel moraliter transcendentali, non tamen habere specialem bonitatem aut malitiam, ratione cuius dici possint specialiter bona vel mala.

Eandem in Deo & in Homine authoritatem: in Deo per essentiam, in Homine per participationem.

CAPVT XXI.

266 *Siue enim Deus, siue Homo Vicarius Dei Mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit Homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter Consulo in Petri sententiam qua* [Actor. 5. c.] obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Aut enim hoc respondendum cum Apostolis, aut cum Pharisæis* [Matth. 15. a.] *certe audiendum*. Quare & vos transgredimini Mandatum Dei propter traditiones vestras.

---

a Quia] Mendosè legitur *Qua* tametsi aliquomodo subsistere possit contextus.
Nota. Est subtilissima & difficillima Moralis Theologia, eximijs digna mentibus &

bus & ingenijs ſublimibus. An in Deo & Homine ſint duæ numero diſtinctæ authoritates inquirimus, & ſi agerent de naturali conceſſuri, in præſenti negamus, non enim de phyſicis rerum exigentijs differimus, ſed de mortalibus. Poſſe dari in Deo & Homine naturales authoritates diſtinctas non ſolùm numero, ſed & ſyſtemate demonſtrat poteſtas & authoritas patria. Deus & Homo ſunt Hominis conditores, ac ideò Domini, ſed non eodem dominio phyſicæ; ſunt Patres, ſed non eadem phyſica paternitate; quia rigorosè loquendo Deus Hominis conditor naturalis eſt, Pater naturalis non eſt; Homo autem Hominis & conditor naturalis & pater. Hominem Deus finitum infinitus condidit infinitè, Homo finitus finitum Hominē finitè; igitur naturalis authoritas Dei & Hominis non ſolùm numero, ſed etiam differunt toto ſyſtemate.

Diuinæ Triados & Humanæ authoritatis parallelismus.

267 Admiratus Trinitatis myſterium veſtigia aliqua quæſiui & reperi in humanis. Aſſerui authoritatem Politicam eſſe naturam moralem; natura enim eſt operandi principium; & hoc ipſum etiam authoritas. In Diuinis vnam & eandem realem naturalem in tribus ſuppoſitis adoro; in humanis eius imaginem contemplor, quoties authoritatem. Eadem omninò & indiuiſibilis eſt in tribus perſonis; quæ in prima vocatur *Ordinaria*, *Delegata*, quæ in ſecunda, & *Subdelegata*, quæ in tertia: at in omnibus tribus perſonis vna eſt authoritas, vna & eadem natura moralis. Hoc curioſum acumen didici à Doctore Mellifluo, qui ſæpe fatetur vnam & eandem eſſe & authoritatem Dei & eius Vicarij, *Siue Deus*, ait Cap. 21. *ſiue homo, Vicarius Dei mandatum quodcumq; tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum.* Et Capite 22. *De prapoſitis certum tenemus ipſius veritatis teſtimonium ſic loquentis ad ipſos, Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

268 Sed obijcis. Si Deo & homini Dei Vicario eadē eſt authoritas, abſq; dubio illa poterit præcipere & diſpenſare, quæ Deus. Atqui teſte Bernardo Deus poteſt diſpenſare in tota ſecunda tabula, imò & contra illam præcipere: ergo homicidia, fornicationes, adulteria, latrocinia, mēdacia, & ſi qua ſunt ſimilia, poterūt reddi licita diſpenſatione humana, & humano præcepto obligatoria. Cōſequētia eſt legitima, & tamen conſequens eſt falſum, & expreſsè contra D. Bernardum [dicit enim, *quod ſi contigerit* (nempe Dei Vicarium Deo contraria præcipere) *pergendum indubitanter conſulto in Petri ſententiam, quæ obedire oportet Deo magis quam hominibus, &c.*] Ergo, vel antecedens non eſt Bernardi, vel S. Pater vna eadem periodo docet contradictoria.

269 Reſpondeo in Deo & eius Vicario eſſe vnam & eandem authoritatem reſpectu illius materiæ circa quam conceditur. Non enim Deus totam ſuam authoritatem delegat, ſed partem. Pontifici delegat Eccleſiaſticam, Regibus ſæcularem: ad ſæcularia Pontifex quà talis non habet authoritatem delegatam, ſicut nec ad Eccleſiaſtica Reges. Ergo ſi quando contingat, vel illum directè attingere negotia purè ſæcularia, vel hos purè Eccleſiaſtica ſuæ delegatæ authoritatis excedunt limites, & operantur mera authoritate priuata. Et, quia tunc peccant omnes quos præuaricationis ſuæ faciunt participes, faciunt etiam reos eiuſdem criminis; obediunt enim miſelli ſubditi non quidem hominibus quà Dei Vicarijs (nam ſi hoc facerent etiam obedirent ipſi Deo) ſed hominibus quà

vsurpatoribus Diuinæ authoritatis, & se esse æquales Deo non nisi per rapinam arbitrantibus; & ideò peccant, nam Petro Magistro, Potiùs Deo quàm hominibus oportet obedire.

Posse dari peccata in Hominem, quæ sint merita erga Deum.

CAPVT XXII.

270 *SI autem dolet se contemni Magister homo pro illo, qui docet hominem scientiam, consoletur illa, quam & vos posuistis, Samuelis sententia, qua inter lepram & lepram videtur* [1. Reg.2. e.] *discernere sic.* Si peccauerit vir in virum, propitius ei poterit esse Deus. Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? *Ego igitur, si me hoc angi Articulo sentiam, vt aut Deum, aut hominem offendere necesse sit; Deum potiùs libenter eligo non offendere, & quidem tutiùs iustiùsque. Habeo nempe ex præsenti Prophetæ capitulo de hominis læsione meam consolationem, Dei scilicet propitiationem. Cæterùm Deo offenso quis orabit pro me? Si ad hominem confugero, id quidem Scriptura non consulit; quinimo,* A Maledictus, *ait,* [Hierem. 17. a.] qui spem suam ponit in homine. *Meritò proinde,* Si autem in Deum peccauerit, *etiamsi subintelligatur propter hominem,* quis B orabit pro eo? *Neuter equidem. Nam & à quo offenditur, & ob quem offenditur, æquè vtriusque* C *oratio execranda decernitur apud ipsum, qui offenditur, hoc est, apud Deum. Talis ergo requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placandum. Porrò culpam, si qua est, quod homo offenditur, cùm ei non obeditur, aut multum extenuat, aut penitus adnullat causa melior. Quapropter cùm dicitur,* Si peccauerit vir in virum, *subaudiendum est,* propter Deum; *quod nullatenus læsio cuiuscumque proximi necdum Prælati; excusetur à culpa, si solus defuerit in causa Deus. Alioquin Paulo contradicit, qui* [1. Cor.8. d.] *ait:* Sic enim in fratrem peccantes in Christum peccatis? *Nam de præpositis certum tenemus ipsius veritatis Testimonium, sic loquentis ad ipsos* (Luc.10. cap.) Qui vos spernit, me spernit.

A Maledictus] Exemplaria impressa exhibeat, *Maledictus homo, ait, qui spem ponit in homine.* Habent vocem *Homo*, qua carent MSS. & carent voce *Suam*, quam illa habent.

B Quis orabit] Aliàs, *Quis inquit orabit.*

C Vtriusque] Sed mendosè in multis MSS. *Vtrique* contra sensum. Oratio enim execranda decernitur, non quidem vtrique homini, sed hominis vtriusque Deo.

Pecca-

Peccatorum distributio, expositio.

271 In Philosophiæ Moralis opere, quod paro, Hominem in quintuplici statu considero, & iuxta quinque status discurro. *Primò*, contemplor hominem ab omni lege abstractum, tam Diuina quàm humana: *Secundò*, subiectum hominis, præcisum ab omni Diuina: *Tertiò*, obnoxium Diuinis, nulli tamen humanæ: *Quartò*, subiectum vtriusque discretim & independenter; quod quidem contingeret, si neque Deus præciperet, vt hominibus, nec homines, vt Deo obediretur: *Quintò*, subiectum vtrisque legibus præceptorum connexione & concordia, qua modò; modò enim Deus præcipit, vt Præpositis nostris obediamus, & vicissim Præpositi, vt Deo. Ex hac doctrina constabit radicitùs, qualis sit humana potestas, & quid moraliter possit fieri, aut non possit.

272 His positis inquiris, An sit vera doctrina Bernardi dicentis dari peccata in proximum, quæ non sint contra Deum? *Ego*, ait, *si me hoc angi Articulo sentiam, vt aut Deum, aut hominem offendere necesse sit, Deum potius libenter eligo non offendere, & quidem iustius tutiusque*. Ecce possibilem instantiam rerumque statum Bernardus iudicat, in quo vel offendendus Deus sit, offendatur proximus; vel proximus, ne Deus offendatur.

263 Sanè in primò quinque illorum statu, in nimirum nullæ leges morales omninò essent, essent actuum consonantiæ & dissonantiæ naturales, sed moralitates nullæ. Tunc, qui odio haberet Deum, Deo opponeretur grauiter naturaliter; &, qui odio haberet proximum, opponeretur etiam naturaliter proximo, & proximi Domino, hoc est, Deo; illi immediatè, huic mediatè. Quia sicut tunc peccaret contra Deum, qui occideret equum proximi, sic peccaret contra Deum, qui occideret hominem Dei: omnia tamen illa peccata essent oppositiones naturales, non morales.

In secundo rerum statu peccata moralia merè humana darentur, quin Diuinæ legi moraliter essent opposita.

272 In tertio darentur peccata moralia Theologicè, quin essent moralia humanitus.

In quartò posset idem obiectum diuinitus & humanitus præcipi, sed quà præceptum ab hominibus non inferret peccatum contra Deum, ipse enim supponitur non præcepisse hominum præcepta obseruari.

Sed in quinto, in quo hodie humanæ res aguntur, iubet Deus hominibus obedire non quidem in quacumque materia, sed in illa, quæ non sit extra eorumdem iurisdictionem: omnes habent authoritatem Diuinam, sed humanitus participatam. Cùm iubent aliquid præter authoritatem suam aut contra, priuata id authoritate præcipiunt; vnde, qui non obedit, illorum voluntati opponitur, non Diuinæ, adeoque committit peccatum purè humanum, quod in Theologica consideratione nullum fit, si res præcepta, contra Deum non sit; aut virtus sit, si eadem res præcepta esse Deo contraria dignoscatur. Stat igitur Bernardi sententia, quod præter peccata, quæ contra Deum militant, dantur etiam peccata purè humana.

276 Dedit Bernardus peccatum contra hominem, quod respectu Dei virtus sit: dabo virtutem & vitium moralia intra limites humanitatis, quæ respectu Dei neutrum sint. Dare enim rem humanitùs promissam (hoc est promissione, quæ nec iuramento, nec præcepto, nec contractu ratificetur) ad humanam fidelitatem pertinet, cum tamen nullum peccatum sit negare.

Quid

Quid & quotuplex scandalum sit?

CAPVT XXIII.

277 S*Ed & de quolibet fratre*; Nolite, *ait*, [Luc. 10. c.] contemnere unum ex his pusillis. *Et* [Matth. 18.a.] Qui scandalizauerit unum ex his pusillis: *quod sequitur, auertat Deus à nobis. Sed non omnium scandala æqua sunt lance pensanda. Aliter namque accipienda sunt scandala Pusillorum, aliter Pharisæorum, de quibus Apostolis timentibus & intimantibus, quòd scandalizati essent in sermone veritatis, responsum est:* (Matth.15.b.) Sinite illos, cœci sunt, & duces cœcorum. *Illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit.*

Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt: isti quia oderunt. Vnde & Pusillos illos arbitror appellari, quòd voluntatis quidem bonæ, sed non magnæ scientiæ existentes, zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam. Talium scandala curam non iram prouocare solent spiritualium duntaxat virorum. Paulo (Galat.6.a.) *ita docente.* Vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. *Indignum siquidem est valde humanam eos merere indignationem, qui diuinam tam facilè consequuntur miserationem. Nam hi quoque, qui Dominum crucifixerunt, magni quidem peccatores, sed Pusilli æstimatores, etsi ex vno iram, nunquid non tamen ex altero veniam meruerunt? Beati si quidem* A *fuissent, si iuxta verbum Domini.* (Matth. 11.a.) *in ipso scandalizati non essent. Nunc vero, quid nisi miseri? Sed tamen & miserandi. Probat hoc pia illa in cruce patientis; sed nihilominùs compatientis supplicatio.* Pater, *inquit*, (Lucæ 23. c.) ignosce illis. *Et quasi quæreretur, indulgentiæ ratio in tam horrendo facinore sequitur:* Quia nesciunt quid faciunt. *Ac si diceret: Eò digni* B *venia, quò & pusilli scientia sunt. Ideò* C *ignosce illis, quia non agnoscor ab illis.* Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. (1. Cor. 2. b.) *Sunt quibus non ita cognosco, quos vtique non ignoro & vidisse, & odisse, & me & patrem meum. Pro huiusmodi pusillo in scientia terrens Paulus eum, qui cùm habeat scientiam nescit tamen condescendere infirmioribus:* Et peribit, *inquit*, (1.Cor.8.a.) in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est.

Materia de scandalo nō est Benedictinæ Regulæ specialis & propria, sed communis omnibus legibus & institutis, quamobrem nulla occurrunt specialiùs notanda. Cęterū, vt verba nostri Authoris facilius intelligas, adnotato illam diuisionem scandali, qua in Pharisæorum & Pusillorum diuiditur, esse eandem omninò cum illa, qua in Receptum & Datum. Sanè Pharisæorum scandalum receptum est; nascitur enim non causa dantis, sed mera malitia recipientis: at scandalum Pusillorum est datum, aptum quantum est ex se, parte dantis, vt proximum scandalizet.

A Siquidem.] Alia Exemplaria habent, *Beati quidem fuissent*.

B Eò] Legitur in alijs libris *Ergo*, sed mendosè hoc enim *Eò* est correlatiuum subsequentis *Quo*.

C Ignosce] Noua Colouiensis editio habet *ignosco*; videtur standum antiquis MSS. hæc enim verba nostri Authoris sunt paraphrasis eorum, quæ Christus dum moreretur, dixit in cruce: Christus autem non legitur dixisse, *Pater ignosco illis, quia nesciunt quid faciunt*; sed potiùs, *Pater ignosce illis, &c.*

Eandem in Deo & in eius Vicario Authoritatem esse; in Deo per essentiam, in homine per participationem.

CAPVT XXIV.

128 QVod si tantoperè cauenda sunt scandala A paruulorum, quanto ampliùs Prælatorum, quos sibi Deus æquare quodammodò in vtraque parte dignatus, sibimet imputat illorum & reuerentiam & contemptum, specialiter (Luc. 10. 16.) *contestans eis*: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me B spernit? *An non denique hoc ipsum & Regula nostra perhibet* (Cap. 5.) *vbi ait*: Obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur? *Quamobrem quidquid* D *vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen* B *certum displicere Deo; haud secus omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrùm per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus* C *innotescat suum placitum Deus?*

A. Paruulorum) Paruuli in sacris literis, vocantur & qui tales dignitate, & qui scientia & decreto. Sæpè bona omittenda sunt propter pusillorum scandalum; bona, inquam, non obligatoria, propter scandalum eorum, qui pusilli sunt scientia, existimantque illa non esse bona, sed diuinitus interdicta, & malo exemplo adliciuntur vt licentiosè peccent, quia sunt pusilli decreto voluntatis. Cæterùm ille, qui ad peccandum non inducitur, non dicitur scandalizari: quamobrem, qui aliquod peccatum commiserit conscio viro pio & sancto, non statim dicendus esset reus dati scandali; non enim datur scandalum, cùm scitur non iri receptum.

Dicis. Datur scandalum receptum & non datum; ergo & dabitur datum quod receptum non sit.

Respondeo vtramque propositionem (inferentem videlicet, & illatam) falsam esse, si vniuersaliter; veram, si particulariter sumatur; nec enim receptum est non-datum, nec omne datum est non-receptum. Contingit enim dari & non recipi, non dari & recipi dari & recipi, & tandem nec dari nec recipi. Datur & non recipitur, quando coram fragili peccatum committitur ex se sufficiens vt eadem hominem fragilem in peccatum inducat, si tamen ille per accidens resistat; quòd si succumbat, erit non solùm datum sed & receptum. Non datur & recipitur, cùm bona

bene

bene fiunt, coram viris maleuolis, qui propter ipsammet virtutem causantur; nimirùm, inuidis quibus virtus est occasio peccandi, de quibus & ipsis similibus inculcant Patres, *tutius esse scandala permitti, quam periclitari veritatem*.

Sanè si *paruulorum* nomine, fragiles & ignorantes intelligeret hic D. Bernardus, nil omninò concluderet; non enim magis cauenda sunt scandala prudentum & fortium, quam imprudentum & fragilium; sicut nec maiori cura cauendum est, ne frangatur scyphus aureus, quàm vitreus, quia tametsi preciosior sit, vitreus maiori vigilantia & cura indiget, quia fragilior est.

Docet igitur D. Bernardus maius esse delictum scandalizare Superiorem, quàm sodalem, cæteris paribus; cùmque paruulos contraponat Prælatis *paruulorum* nomine non intelligit viros paruæ constantiæ, sed paruæ authoritatis. Pusillos enim ipse opponit Pharisæis, Prælatis paruulos. Bernardo igitur *Pusilli* sunt, qui ignorantes *Pharisæi*, qui maleuoli; *Paruuli*, qui subditi, *Prælati*, qui eisdem præpositi.

B Me spernit] Addit Christus. *Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me*. Atqui Deo & Christo non est similis authoritas, sed eadem: ergo Deo & homini est eadem tametsi diuersimodè, Deo enim primariò est; homini secundariò; Deo per essentiam, homini per delegationem. Hanc cognosco in Prælatis præter quam in Patribus naturalibus datur authoritas verè ordinaria tametsi participata à Deo.

C Innotescat] Non tam *manifestare*, quàm *manifestari* verbum illud significat apud authores selectissimos; cumque Bernardus diligentissimus fuerit eloquentiæ sectator, non facilè credam carere errore hunc locum, tametsi omnia MSS. quæ vidi, contradicant. Quid si legeris, *Insinuet suum placitum Deus?* Quid si, *Indicat?*

D Vice Dei) Singula D. Bernardi verba, sufficerent, vt curiosissimæ excitarentur controuersiæ, si vellemus totam Moralem Theologiam in hoc Scholio tractare: sed ne te moretur nimia breuitas oportet respondere obiectionibus, quæ ex contextu oboriuntur.

Homo, inquis, cum præcipit vice-Dei, vel potest egredi limites suæ authoritatis, vel non potest: si hoc secundum dicatur, est de subiecto non supponenti periodus Bernardi, quomodo enim posset iubere, quod displiceat Deo, qui limites cœlitùs præfixos nequit transgredi, maximè cùm nec habeat, nec habere possit authoritatem iubendi contra Deum? ergo primum omninò dicendum est. Sed infers; ergo Abbas non excedit authoritatis limites, cùm iubet, quod non sit contra Deum; ergo nec cùm Augustini Regulam indicit, hæc enim contra Deum non est: ergo Abbatis Regulæ Augustinianæ obseruantias & pœnalitates indicentis mandatum haud secus omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Hoc si verum, corruit tota D. Bernardi doctrina, quam susceperat hoc libro stabiliendam; & tanta erit Abbatum authoritas, quantæ subditi nulli sufficiant.

Respondeo displicere Deo omnia mandata Superiorum limites authoritatis excedentium, iniusta enim sunt, & omnia iniusta displicent Iustitiæ æternæ: ergo cùm Benedictinus Abbas præcipit pœnalitates Regulæ Augustinianæ, fert sanctionem, quæ displiceat Deo; non quod mala præcipiat, sed quod malè; has enim præcipit terminos suæ authoritatis excedendo.

E Certum) Debes obedire, quamdiu certum non sit mandatum displicere Deo. Displicet materialiter, cùm præcipiuntur mala; formaliter, cùm malè. Hoc est, cùm extra terminos authoritatis mandatum Superioris extenditur: præcipienti enim mala obedire non potes, & præcipienti bona male, hoc est, sine authoritate, non teneris. Sed hæres, cùm interlegis, *certum*, & qualis debeat esse huiusmodi certitudo, inquiris. In dubijs obediendum esse prudenti Antistiti, puto

 me de-

me demonstrare nu. 297. Cùm euidens est rem bene præcipi, etiam obedire teneberis; cæterùm cùm probabiliter malum, aut probabiliter malè præcipiatur, elige quod malueris, vt sis, qui promiseris te habiturum esse opinionem eandem, quàm Prælatus, vt creduntur Prior & reliqui administri, iuxta ea, quæ expendo vberiùs in mei Commentarij nu. 1582.

Sed dices *Certum* non sumi pro *Probabili*, sed pro *Euidenti*, sed ego te ipso doctiorem in lingua Latina Cicerone non dubito, ipse autem, 2. de Diuinit. *sæpè falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur*, cùm verum sit non posse falli, qui opinantur ratione euidenti, posse qui probabili.

Patremfamilias Prodeum esse.

279 HAnc doctrinam desumpserat D. Bernardus ex Regulæ quinto, quod citat. Agit de obedientia Legislator, & probaturus hanc non subijci puri hominis authoritati, sed Dei, laudat illos, *qui nihil sibi Charius aliquid existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ mox vt aliquid imperatum à maiore* (hoc est, *à superiore*) *fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo, de quibus Dominus dixit, ob auditu auris obediuit mihi.* Sed quia hic videtur sanctus Benedictus contradicentia tradere, & malè citari à Mellifluo Doctore, vtrumque breuiter examinandum est.

Obiectio I.

280 ILlis, inquis, qui intuitu æternæ beatitudinis, aut pœnarum horrore ducti obediunt, seruilis Obedientia conuenit non filialis; atqui huiusmodi subditi dicendi sunt se maioris facere, quam Christum: errat igitur D. Benedictus asserens, eosdem nihil sibi Christo charius existimare. Minorem probas. Quia, qui præmij adipiscendi, aut supplicij vitandi intuitu operantur, suam commoditatem primariò intendunt, & secundariò gloriam Christi; ergo maioris se faciunt quàm Christum.

Obiectio II.

281 ADdis nos cum D. Bernardo asserere authoritatem ordinariam & delegatam eandem esse, sed alteram esse innatam & alteram communicatam: & Theologiam adscendentes dicere, eandem in Deo & eius Vicario (Pontifice, Episcopo, Sacerdote, Abbate in Ecclesiasticis; Imperatore, Rege, Principe, Patre, Hero in Politicis) esse authoritatem, cùm tamen D. Benedictus non asserat identitatem, sed similitudinem solam insinuet. *Mox vt aliquid*, inquit, *imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperatum fuerit, moram pati nesciunt in faciendo.* Notas illud *ac si*, similitudinis non tamen identitatis notam. Nam si quis diceret: Mox vt aliquid imperatum à Petro fuerit, ac si à Rege esset imperatum, obediam; malè inferretur, vel Regem iubere, quæ Petrus, vel eandem authoritatem communem esse Regi & Petro.

Satisfit obiectioni primæ.

282 AD primam instantiam respondeo cum Doctore Mellifluo huius libri Cap. 11. obedientiam in imperfectam, perfectam, & perfectissimam subdiuidi, Diuumque Benedictum non exponere in præsenti capite duas vltimas, sed solummodò primam, quando quis amore concupiscentiæ obedit; sed & hic dici potest, nihil maioris facere, quàm Deum præscindendo à se ipso. datur. n. duplex concupiscentia; videlicet, & præ-

præcisiua & negatiua. Concupiscis negatiuè, cum vniuersa alia minoris facis quã Christum, hunc minoris quàm te. Hæc deordinata concupiscentia est, & seruilis; hac aguntur homines quasi recalcitrãtes & inuiti; nam cùm obediunt, expresse aut implicitè inquiunt, *Præcepto satisfacimus, non quidem ne offendamus Deum; sed ne aut gloriam perdamus, aut incurramus supplicium: cæterum ni premij ambitione & pœnarum horrore retardaremur, non satisfaceremus tametsi deberet Deus offendi*. At verò concupiscentia præcisiua tolerabilis est; si enim illa afficiaris, minoris facies vniuersa quàm Christum, sed ab omni comparatione & reduplicatione prescindes. *Præcepto*, inquies, *satisfacio ne gloriam perdam, aut debitum supplicij incurram*: non tamen occurret illa hypothesis, an si Deus deleret infernum esses satisfacturus, aut non satisfacturus? quapropter, nec te maioris facies quàm Christum, nec Christum quam te, sed abstrahes ab vtroque, ac proinde poteris dici Christum super omnia à tua felicitate distincta amare positiuè; & præcisiuè super tuam ipsissimam commoditatem; hoc est, nec supra, nec infra.

283 Hinc cognoscitur attritionis ex Dęmonis suggestione abortę, & ex dono Spiritus sancti prouenientis discrimen; illa enim est actus concupiscentię negatiuę, hęc pręcisiuę; illa vix est immunis à mortifero, hęc est sufficiens, vt cum Sacramento transeat in contritionem, quam vt verè Theologicum axioma circumfert, *Sacramentalis pœnitentia facit ex attritis contritos*.

284 Sed petis, Cur attritio pręcisiua possit in contritionem conuerti, negatiua non possit? Respondeo, hanc esse contritioni contrariam, illam verò compati cum contritione. Et vt intelligas, ipsosmet actus voluntatis reducamus ad formulas. Sit prima, *Amo Deum super vniuersa prescindendo à mea commoditate*: Sit secunda, *Amo Deum super vniuersa, sed super Deum meam commoditatem*: Sit tertia, *Amo Deum super vniuersa à mea commoditate distincta, & etiam super meam commoditatem*. Primus est actus attritionis pręcisiuę; secundus negatiuę, tertius contritionis. Primus sufficit cum confessione, secundus non sufficit cum confessione, imò reddit illam sacrilegam; tertius sufficit sine confessione, si hęc haberi non possit. In hoc quod est pęnitentem diligere Deum super vniuersa à sui ipsius commoditate distincta, omnes tres dolores conueniunt, differunt in modo comparandi Deum cum commoditate pœnitentis. Attritio enim pręcisiua non comparat, sed ab ista comparatione pręscindit, vnde & nomini occasio: negatiua, negat Deum maioris fieri quàm commoditatem: contritio affirmat. Ergo attritio negatiua & contritio opponuntur, vt negatio & affirmatio; ergo gratiæ interuentu deberet attritio negatiua destrui, peccatum enim imbibit & cum gratia iustificante componi non potest.

285 Dabo periodos D. Benedicti, quę singulos hos actus dilucident. Obedientiam natam ex vera charitate his coloribus eodem quinto Capite Regulæ S. Legislator depingit; *Hęc ipsa obedientia*, ait, *tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus; si quod iubetur non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure; vel cum responsione nolentis efficiatur. Quia obedientia, quæ Maioribus prębetur, Deo exhibetur; ipse enim dicit, Qui vos audit, me audit, & cum bono animo à discipulis pręberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus*. Et statim spuriam illam obedientiam, quę ex negatiuæ concupiscentia suboritur, hisce. *Cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verùm etiam in corde si murmurauerit, e si impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit*. At de illa, quę

quæ bona cùm sit, est imperfecta, & oritur ab attritione, quæ sit donum Spiritus sancti & ad perfectiora disponat, in ipso Capitis initio sic inquit, *Primus* (hoc est ignobilior) *humilitatis* (legunt alij *obedientia*) *gradus est obedientia sine mora* (sed præmium, & pœnam respiciens). *Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant: propter seruitium Sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, seu gloriam vitæ æternę, mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.*

286. Hinc patet, quod debeat obiectioni præmissę responderi: nam in his verbis vltimis (eadem in obiectione adsumebantur) S. Pater agit de concupiscentia præcisiua, qua amamus Deum positiuè super omnia reliqua & supra nos ipsos negatiuè.

Satisfit secundæ.

288. VT alteri obiectioni respondeam, fateor illud *ac si* non semper significare identitatem & veritatem rigorosam, sæpe enim sumitur pro similitudine: at impræsentiarum hoc dici non potest, nam ex multis eiusdem D. Benedicti locis constat, quomodò particulę illæ sint intelligendæ. Et ne euagemur per diuersa Sanctę Regulæ capita, in hoc eodem quinto, *Obedientia*, ait S. Benedictus, *quæ Maioribus prębetur, Deo exhibetur.* Deo igitur, cùm Superioribus nostris, obedimus: ergo Deus loquitur cùm illo; & Deus, quæ pręcipiunt illi, compręcipit.

287 Sed ne videretur S. Legislator velle suis verbis mentes suorum subijcere, addit diuinum testimonium ex Sac. Scriptura desumptum: *Dominus*, ait, *dixit... Qui vos audit, me audit*, & paulò pòst *Obedientia, quæ Maioribus prębetur, Deo prębetur; ipse.n. dicit. Qui vos audit, me audit.* Igitur Deus testatur se Superiorum ore loqui. Ergò cùm Abbas loquitur, os Dei loquitur; igitur, si Abbas est lingua Dei, cum eius audimus imperia audimus. Abbatem *vt quo*, Deum *vt quod*. Stat igitur Mellifui Doctoris sententia, nimirùm, Eandem in Deo & eius Vicario (is est Abbas) authoritatem esse; eandem inquam moraliter, non physicè; sed in Deo per essentiam, in Abbate per participationem; in Deo, vt in causa principali, in Abbate, vt in instrumentali; in Deo, vt in eo, qui loquitur, in Abbate, vt in legato, Angelo, internuncio, quo interprete Deus loquitur.

289. Vbi notare oportet vnam & eandem authoritatem à Benedicto tactam, fuisse à Bernardo expressam. Dixerat Deus apud Benedictum: *Qui vos audit, me audit*; & exscripsit Bernardus, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Vt ostenderet plus adhuc probari posse S. Scripturæ Testimonijs, quam Benedictus intendebat. Videbatur velle ostendere Deum, vt loquatur, vti Antistitum & Superiorum lingua; sed, quia posset inferre aliquis: Ergo, qui non audit Prelatum, non audit Deum.

Respondet Mellifluus Regulę Diuinę Commentator, non quamcumque inobedientiam esse à Deo interdictam, sed eam solùm, quę imbibit contemptum: non enim legitur dixisse Deus, *Qui vos non audit, me audit*: sed, *Qui vos spernit, me spernit*: Vnde rationem præbens, cur Spiritus sanctus sic fuerit loquutus, prædixerat: *Quos (Prelato) sibi Deus æquare quonammodo in vtraq; parte dignatus est: sibimet imputat illorum reuerentiam & contemptum*. Quę verba, si volueris ad omnem legem humanam extendere, patiens summas difficultates; communis enim sententia fert, peccare etiam eos, qui humanas leges morales violant etiam sine contemptu: at verò, si agamus de Benedictina de qua toto hoc libro disputat S. Bernardus, certissima sunt. *Ausculta, ò Fili*, inquit

D. Be-

D. Benedictus, *precepta Magistri; & inclina aurem cordis tui & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple*. Et Deus omnibus & singulis hanc legem professis. *Qui Benedictum audit, me audit*: Sed si petas, Domine, qui Benedictum non audit, te non audit? adiunget, *Qui Benedictum contemnit*, (id est, qui Benedictinam Regulam temerat cum contemptu) *me contemnit*. Rationem exhibet in Regulę prologo, & ait, *Christi enim agere vices in Monasterio creditur* (Abbas) *quando ipsius vocatur prenomine, dicente Apostolo, Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater*. Addo in omni peccato mortali implicitum latere contemptum, & hac via posse hanc eandem doctrinam legibus omnibus aptari.

An erranti Magistro, quis debeat, aut possit obedire?

CAPVT XXV.

290 S*Ed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es. Præsertim cum teneas de Scripturis*, [Malach. 2. 7.] Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus [Nuntius, Legatus, Vicarius, & Interpres] Domini exercituum est? *Requirunt, dixerim legem; non quam vel authentica vlla Scriptura tradiderit, vel ratio* C *manifesta probauerit, de huiusmodi quippe nec Præceptor exspectandus, nec prohibitor auscultandus est: sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, vt in* D *dubium venire possit, vtrùm nam Deus sic aut aliter fortè velit, si non de labijs custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique, diuina potius consilia* A *requirentur, quam ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Nec sanè contraria loquimur sancto Prophetæ Samueli*, [1. Reg. 2. 25. 29.] *quasi nos in hac parte diuinam hominibus tribuentes Authoritatem, cum ille in supra memorato capitulo planè discernere inter vtrumque videatur. Siquidem, quod nos asserimus de dubijs, hoc ille negat de* C *manifestis, vt cum ait*, Si peccauerit vir in virum, *subaudiatur propter Deum: cui apertè contraria homines, hominibus frequenter mandare* B *præsumunt.*

A Requiruntur] Sic habent mea MSS. Sed in Coloniensi editione lego *requiruntur*. Sensus est prorsus idem, sed stant pro eloquentia Manuscripta.

B Præsumunt.] Hoc est, sine authoritate iure & titulo faciunt.

C Manifesta.] Hęc vox hic sumitur pro re euidenti, supra omnem probabilitatis

bilitatis aleam constituta. An hoc etiam illam sensu S. Franciscus in sua posuerit Regula cap. 3. examino num. 1985. §. *At puto.*

D Dubium.] Sensit igitur S. Bernardus dubium tolli accedente resolutione Superioris.

Nota. Legant hoc caput scrupulosi Confessarij præcipuè in his prouincijs, quas tot hæreticis infectas deploramus. An Petrum lapsum in hæresin absoluere possis, inquiris. An sit peccatum reseruatum, ambigis. A quo debeat legitimè absolui subdubitas. Et ego. An prudenter in hæresin lapsus dicatur ille miser pœnitens, nescio. Nulla est hæresis sine pertinacia, nec hæc sine scientia. Pastori rurali concionanti, cur rustici auditores non crederent, cur spirituales illius filij ab illo tuta conscientia dissentient? quia cùm idiotæ ipsi sint, essent iudices temerarij, si illum hæreses docere crederent. Quid si ipse, aut ex ignorantia, aut malitia D. Virginem duos filios habuisse ex legitimo thoro, declamaret? assentirentur procul dubio vniuersi. A quo igitur deberent absolui ab illa hæresi? Sanè à nemine, non enim peccant, qui prudenter credunt; & cùm pertinaces non sunt, nec hæretici sunt.

Illicita iubenti nonnunquam licite obeditur.

291 HOc caput benignissimum & verissimum est. Si eius doctrina sit omnibus cordi, erit in millenis casibus summo solamini. Si manifestum sit quid fieri debeat, operator; si manifestum sit quid fieri non debeat, omittito: non enim Præceptor exspectandus, nec prohibitor auscultandus contra id quod authentica Scriptura, vel ratio manifesta euidenter probauerint. At si dubites, consulere teneris. Quem? Verè neminem alium quàm Magistrum tibi diuinitus præfectum; aut fortè alium virū integræ authoritatis, si tuo id Magistro (hoc est, Abbati) non displiceat. Quod Mellifluus noster Doctor aliquibus rationibus probat.

292 Prima ad quam omnes alias reduco, hæc est. Labia Sacerdotis (hoc est, Magistri, Abbatis) custodiunt & tuentur veram scientiam; ergo legem Dei discipuli ex ore eius requirunt: ergo, quando eius doctrinam sequuntur, diuinæ obligationi satisfaciunt: non enim est discipulus supra Magistrum; & qui temerè putaret se decipi à Magistro sibi diuinitus concesso, peccaret; & quidem putaret temerè, qui sine ratione probabili. Probatur primum antecedens. Abbas est Domini exercituum Angelus, legatus, interpres, internuntius, & vt verbo dicam, lingua & instrumentum: ergo labia Abbatis custodiunt scientiam veram quidem & certam moraliter, & securam quousq; constet euidenter contrarium.

293 Sed infers, Ergo nulla securitas est in foro conscientiæ; & illationem probas, Quia Abbates sunt homines, possunt fallere & falli, decipere & decipi; ergo nunquam Religiosus subditus poterit quiescere, nam nunquam erit securus, an à suo Magistro fallatur.

294 Respondeo contrariā potiùs cōsequentiam debere ex præmissis inferri. Qui bene obedit etiam male imperanti, ni euidenter Antistitis errorem videat, securissimus est. Esto enim Abbas erret aut te decipiat, audi Bernardum, *Quid hoc refert tua*, inquit, *qui conscius non es?*

295 Obijcis. Filij Heli 1. Regū 2. 12. cū essent Sacerdotes fallebant decipiebant populum suosq; pueros: Et tamen nec populus excusatur, nec Sacerdotū pueri, imò nec Sacerdotum Pater, qui exorbitantias permittebat. Pueros, tametsi famulos & obedienti Ministerio obnoxios, condemnat sancta Pagina vers. 17. *Erat ergo peccatum puerorum*

rerum grande nimis coram Domino. Cōdemnat populum ipſemet Senior verſ. 14. *Nolite Filij mei*, inquit, *non enim eſt bona fama, quam audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini*. Seniorem Heli Vir Dei diuinitùs miſſus, qui verſ. 27. ait, *Hæc dicit Dominus, &c.* ego doctrina Bernardi militat contra Sacram Scripturam.

296 Reſpondeo cùm D. Bernardo, non potuiſſe Iſraelitas Filij Heli obedire tuta conſcientia, quia tametſi eorumdem Magiſtri, docebant aliter debere fieri ſacrificia, quàm lege diuina ſtatuebatur, & eos errare populus videbat euidenter. *Veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti. Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti, non enim accipiam à te coctam, ſed crudam. Dicebatq́; illi immolans: incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumq́; deſiderat anima tua. Qui* (puer) *reſpondens aiebat ei. Nequaquam; non enim dabis, alioquin tollam vi.*

Nota illud *iuxta morem*, & illud *tollam vi*: ergo ſciebant plebæi, quod errabant Sacerdotes contra morem operando, ergo ſciebant pueri ſuos heros contra ius præcipere, ſi enim ipſis iure deberentur, non præciperent auferri vi. Igitur D. Bernardus cùm iubet Superiori obedire, non loquitur contraria Sacræ paginæ (1. Samuel 2.) iubenti non obedire, ſi quidem quod Bernardus aſſerit de ambiguis, ſacer textus condemnat de euidentibus: vnde cum ſibi hanc eandem inſtantiam S. Doctor obijceret: *Nec tamen contraria loquimur*, ait, *Sancto Propheta Samueli, quaſi nos in hac parte diuinam hominibus tribuentes authoritatem, cum ille in ſupra memorato capitulo planè diſcernere inter vtrumq́; videatur, ſiquidem quod nos aſſerimus de dubijs, hoc ille negat de manifeſtis*. Accedit, quod ex S. Pagina non conſtat filios Heli decepiſſe populum; hoc eſt, dixiſſe Deo placere, quod contra mores fierent ſacrificia; ſed conſtat potiùs ſcandalizaſſe, & conſcios in Sacrilegium induxiſſe. Ex qua certiſſima doctrina naſcuntur iſtæ Ectheſes.

Prima. *Si ſubditus euidenter ſciat Abbatem præcipere contra Deum, Eccleſiam, aut Regulam debet non obedire.*

Secunda. *Si probabiliter opinetur, poterit obedire & non obedire.*

Tertia. *Si dubitet, aut omnino ignoret, tenetur obedire.*

Dicis, te non poſſe in dubio temerare legem, ergo, nec obedire Prælato, cum dubitas, an contra Decalogum iubeat.

297 Reſpondeo omninò diſtinguendum eſſe dubium à probabilitate, qui enim opinatur probabiliter, graui fundamento ſubnititur; qui dubitat, aut nullo, aut leui. Non eſt probabilis, quæ grauem authoritatem habet, ſi contraria habeat, aut nullam, aut leuem; ſed tunc eſt moraliter certa ſententia: probabilitas enim exigit in vtroque extremo grauem authoritatem. Ergo, qui dubitas, an liceat, comedere oua die dominica quadrageſimali? ſupponeris omni ratione, aut ſaltem graui deſtitui: igitur tibi erit euidens moraliter licere, ſi accedat præceptum Superioris, qui integra fama polleat. Id enim eſt grauis authoritatis quam non elidet, tua ignorantia meri dubij tenebris circumſepta, quia Præceptum & Ratio ſunt morum Regulæ, non autem dubia & velleitates. Conſulto dixi, *qui integra fama polleat*, nam ſi talis ſit, qui præcipere contra Deum & leges Superiores ſoleat, illius ſententia non addet grauem authoritatem alteri dubitationis parti, ac ideò manente dubio teneberis non obedire.

Regulam simul iugum leue & intolerabile respectu diuersorum.

CAPVT XXVI.

298 *SEd hinc vos sumentes materiam siue occasionem argumentandi, asseritis, si hoc constiterit, vt iussa qualibet* vv *hominum, vel instituta diuinæ Authoritatis pondere æstimanda sint; hominem sub homine; aut vix, aut nequaquam posse saluari: cum in tanto cumulo Mandatorum, quæ Prælati etiam per incuriam sæpe præcipiunt, interdum non præuaricari, aut difficile admodum, aut omninò impossibile videatur. Et quidem non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni, sed cùm ipsa corde imperfecto præsumitur.*

Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata Authoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est 4 *huiusmodi obedientia. Non planè hæc est illa,* vv *quæ ex Regula* (Cap. 5. sub initium) *traditur obedientia sine mora. Disputare profectò, hoc est, in astu cordis, non in auditu auris obedire. Istius modi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur, iugum esse suaue & onus est, & omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui.*

Resoluerat S. Doctor eandem obedientiam præbendam esse humanis Superiorum præceptis quam diuinis, Inferunt Carnotenses; Hominem sub homine vix, aut nequaquam saluari posse. Distinguit Bernardus consequens concedit, Si status Religiosus corde imperfecto præsumatur; negat, si perfecto. Sed quidquid sit de consequenti Carnotensium, vacillat consequentia. Obijcerem enim illis Dominis hunc syllogismum. Æquè strictè precepta moralia hominum obligant ac diuina, atqui hęc facilia & suauia sunt: ergo & illa, Patet minor, Quia iugum Dei suaue est & onus leue. Nec valet ad minutissimorum præceptorum multitudinem recurrere, quia cum primum lex incipit esse moraliter impossibilis, incipit esse imprudens, & non obligare conscientias. Proderit legere mei Commentarij numer. 94 96. vbi ostendo, quod ex hypothesi (alias falsa) quòd parua possint sub culpa graui præcipi, neminem obligari obedire Abbati præcipienti, aut adiuramenti omnium & singulorum Articulorum contentorum in Regula Benedictina obseruantiam; esset enim illud votum aut iuramentum de re impossibili.

4 Huiusmodi] Alij legunt *huiuscemodi*.

vv Ordo dictionum varius.

Non esse improuidam professionem laudandam.

CAPVT XXVII.

299 *Hinc itaque, si dicitis, legem Regulæ subintrasse, vt abundaret delictum; verum dicitis. Caterùm culpa hæc non est data legis, aut dantis legem, sed improuidè profitentis, & impiè præuaricantis. Mandatum quidem sanctum & iustum, sed tu te noris esse* (Roman. 7. c.) *carnalem, venundatum sub peccato. Verum hoc ante* A *prouidisse debueras, quo turris huius Euangelicæ non priùs iaceres fundamenta, quam sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi, vt aut correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusioribus.* (Luc. 14.) Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare.

A Prouidisse] Lego in editione noua Coloniensi *Prouidisse*; malo tamen Manuscriptorum retinere lectionem.

Sanè inter *Prouidere* & *Præuidere* summum discrimen est; omnis enim, qui prouidet, præuidet, non contrà. Omnes peccatores, cùm ex conscientia delinquunt, se in infernum præcipitari præuident, sibi tamen non prouident, & viri pientissimi saluti veræ consulentes, virtutes sibi comparant, merita prouident, præuidentes æternum condemnatum iri, si sine Dei gratia deuiuant.

Sunt, qui doceant res prouideri præsentes, præuideri futuras, certum tamen est has solas præuideri, vtrasque tamen prouideri. Plinius: *Hoc enim sapientis est, omnia, quæ ventura sunt, prouidere.* Cicero 2. de Diuinit. *Medicus morbum ingrauescentem ratione prouidere, insidias Imperator, tempestates gubernator* (adderet Bernardus, *vires votu emissurus*) Igitur *prouidere*, est finem intendere, cognoscere media proportionata, & si hæc non ponantur, finem non esse ponendum præuidere, illa eadem media examinare, & aut adhibere si possint, aut non incipere si illa non possint adhiberi.

An aliqua Religionis probatio debeat vestitioni præmitti?

300 Multas quæstiones improuidè antiqui resoluerunt, quæ iam videntur meliùs examinatæ. Petebatur, an deberet quis longo tempore deliberare aditurus aliquam Religionem? Putarunt aliqui non esse opus aliqua deliberatione; quia cùm bonum sit, & constet malum esse non posse, non est opus deliberatione diuturna. Petebatur etiam, Possetne quispiam dissuadere, aut impedire ne aliquis, aut ad Monasterium veniat, aut ne post conuersionem remaneat; & hoc propter eandem rationem. Sed noster Author docet nos sublimiorem doctrinam, quam trado in Commentarij *num.* 454. 456. nimirum. *Non esse improuidam professionem laudandam.* Vituperandi enim sunt omnes illi, qui improuidè profi-

Regulam simul iugum leue & intolerabile respectu diuersorum.

CAPVT XXVI.

298 SEd hinc vos sumentes materiam siue occasionem argumentandi, asseritis, si hoc constiterit, vt iussa qualibet vv hominum, vel instituta diuinæ Authoritatis pondere æstimanda sint, hominem sub homine; aut vix, aut nequaquam posse saluari: cum in tanto cumulo Mandatorum, quæ Prælati etiam per incuriam sæpe præcipiunt, interdum non præuaricari, aut difficile admodum, aut omninò impossibile videatur. Et quidem non nego difficultatem tantæ inesse perfectioni, sed cùm ipsa corde imperfecto præsumitur.

Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata Authoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est ♠ huiusmodi obedientia. Non planè hæc est illa, vv quæ ex Regula (Cap. 5. sub initium) traditur obedientia sine mora. Disputare profectò, hoc est, in æstu cordis, non in auditu auris obedire. Istius modi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur, iugum esse suaue & onus est, & omninò importabile, nisi Christi æquè spiritui.

Resoluerat S. Doctor eandem obedientiam præbendam esse humanis Superiorum præceptis quam diuinis. Inferunt Carnotenses; Hominem sub homine vix, aut nequaquam saluari posse. Distinguit Bernardus consequens concedit, Si status Religiosus corde imperfecto præsumatur; negat, si perfecto. Sed quidquid sit de consequenti Carnotensium, vacillat consequentia. Obijcerem enim illis Dominis hunc syllogismum. Æquè strictè precepta moralia hominum obligant ac diuina, atqui hęc facilia & suauia sunt: ergo & illa, Patet minor, Quia iugum Dei suaue est & onus leue. Nec valet ad minutissimorum præceptorum multitudinem recurrere, quia cum primum lex incipit esse moraliter impossibilis, incipit esse imprudens, & non obligare conscientias. Proderit legere mei Commentarij numer. 94 96. vbi ostendo, quod ex hypothesi (aliàs falsa) quòd patuæ possint sub culpa graui præcipit, neminem obligari obedire Abbati præcipienti, aut adiuramenti omnium & singulorum Articulorum contentorum in Regula Benedictina obseruantiam; esset enim illud votum aut iuramentum de re impossibili.

♠ Huiusmodi] Alij legunt *huiuscemodi*.

vv Ordo dictionum varius.

Non esse improuidam professionem laudandam.

CAPVT XXVII.

299 **H***Inc itaque, si dicitis, legem Regulæ subintrasse, vt abundaret delictum; verum dicitis. Cæterùm culpa hæc non est data legis, aut dantis legem, sed improuidè profitentis, & impiè præuaricantis. Mandatum quidem sanctum & iustum, sed tu te noris esse* (Roman. 7. c.) *carnalem, venundatum sub peccato. Verum hoc ante* A *prouidisse debueras, quo turris huius Euangelicæ non priùs iaceres fundamenta, quam sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi, vt aut correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusioribus.* (Luc. 14.) Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare.

A Prouidisse] Lego in editione noua Coloniensi *Prouidisse*; malo tamen Manuscriptorum retinere lectionem.

Sanè inter *Prouidere* & *Prævidere* summum discrimen est; omnis enim, qui prouidet, præuidet, non contrà. Omnes peccatores, cùm ex conscientia delinquunt, se in infernum præcipitari præuident, sibi tamen non prouident, & viri pientissimi saluti veræ consulentes, virtutes sibi comparant, merita prouident, præuidentes æternum condemnatum iri, si sine Dei gratia deuiuant.

Sunt, qui doceant res prouideri præsentes, præuideri futuras, certum tamen est has solas præuideri, vtrasque tamen prouideri. Plinius: *Hoc enim sapientis est, omnia, quæ ventura sunt, prouidere.* Cicero 2. de Diuinit. *Medicus morbum ingrauescentem ratione prouidere, insidias Imperator, tempestates gubernator* (adderet Bernardus, *vires votu emissurus*) Igitur *prouidere*, est finem intendere, cognoscere media proportionata, & si hæc non ponantur, finem non esse ponendum præuidere, illa eadem media examinare, & aut adhibere si possint, aut non incipere si illa non possint adhiberi.

An aliqua Religionis probatio debeat vestitioni præmitti?

300 **M**Vltas quæstiones improuidè antiqui resoluerunt, quæ iam videntur meliùs examinatæ. Petebatur, an deberet quis longo tempore deliberare aditurus aliquam Religionem? Putarunt aliqui non esse opus aliqua deliberatione; quia cùm bonum sit, & constet malum esse non posse, non est opus deliberatione diuturna. Petebatur etiam, Possetne quispiam dissuadere, aut impedire ne aliquis, aut ad Monasterium veniat, aut ne post conuersionem remaneat; & hoc propter eandem rationem. Sed noster Author docet nos subliminiorem doctrinam, quam trado in Commentarij *num.* 454. 456. nimirum, *Non esse improuidam professionem laudandam.* Vituperandi enim sunt omnes illi, qui improuidè

profitentur; nempe omnes illi, qui cœcè vota emittunt, cùm potiùs prouidere & examinare debuissent, an haberent vires ad satisfaciendum rigori vitæ religiosæ.

Quamobrem tenendum absolutè est, omnem præcipitem resolutionem esse vituperandam; cumque in professione agatur de conuersatione totius vitæ, oportet vt summa deliberatio præcedat; summa non verò diuturna. Breui enim tempore potest examen fieri & firmissima resolutio capi. Qui prudenter examinat: Vtrùm sibi talis modus viuendi, aliàs sanctissimus, expediat; benè facit: non enim omnia, quæ secundum se bona dicuntur vtilia sunt omnibus; eidem cibi, experientia docente, prosunt vni, nocent alteri; & ita eadem vitæ austeritas, quæ Petro prodest, Antonino noceret. Ergo similiter, si expedit rem benè examinare, non sunt vituperandi amici, qui statum religiosum dissuadent, cùm iudicant non expedire; nec illi, qui impediunt improuidam præcipitationem, cùm iudicant nasci ex resolutione imprudenti: peccarent tamen, si vocationem diuinam esse crederent, & tamen vellent impedire. Vide loca Commentarij citata.

Non peccat mortaliter, qui sine contemptu omnes & singulos Articulos, qui ab vna sola Regula S. Benedicti indicuntur, transgreditur.

CAPVT XXVIII.

301 *Sed forsan dicitis. Ergone ita præfectus quispiam inuenitur, cui non vel minimum aliquid interdum subripiatur de tam multis ac minutis, quæ passim vel à negligentibus præpositis imperantur? Minimè quidem cuiquam hoc ego dederim, cum ipsi quoque* A *de sese fateantur Apostoli:* (Iacob. 3. a.) In multis offendimus omnes. *Et* (1. Ioan. 1. c.) si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. *Sed non continuò vt aliquid præterimus; perimus; præsertim cùm nos Scriptura* (1. Ioan. 2. a.) *consoletur:* Si quis peccauerit, *inquiens*, Aduocatum habemus Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Denique Propheta* (Esa. 53. d.) *de ipso testatur*, quod pro transgressoribus rogauerit, vt non perirent. *Vbi sanè notandum, quia etsi pro transgressoribus, non tamen pro contemptoribus legitur supplicasse. Verum illi quomodo perire* (nimirum potentia ad actum reducenda) *possunt, pro quibus Saluator rogat ne pereant? Quamobrem non video, cur ita omnem inobedientiam & transgressionem, vel minorum* B *quorumdam Mandatorum exaggerandam putaueritis, vt exclamaretis. Quod ergo iam Monacho poterit veniale peccatum esse vel leue, cuius vniuersæ actioni crimen insidiatur inobedientiæ? Sed hoc inde videlicet constare creditis, quòd Prælatorum iussionibus tantum tribuendum asseritis, quantum diuinitùs traderentur. Quasi verò & ipsa Euangelica præcepta non multum inter se discrepent, & meritò obseruationis & transgressionis periculo*

Cæte-

Cæterùm sicut non omnia vnius esse constat vel necessitatis (possunt esse grauia & præcipi propter finem grauem ad quem conducant leuiter) *vel* C *voluntatis* (grauius obligant, quæ intensius præcepta) *vel dignitatis* (leuia sunt peccata, si materia sit parua; grauia, si magna, & grauiora, si maior.) *Sic non si vna de omnium transgressione fertur sententia, nec paria manent discrimina dispares culpas. Porrò, nec* D *pari culpa negliguntur, quæ non pari curâ præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniuntur. Ecce enim Euangelium tam flagitium crapulæ, quam fornicationis turpitudinem damnat. Verùm quis magis non horreat è duobus malis turpitudine fœdari, quam cibo exsaturari? Nonne denique veritas in Euangelio sub nominibus, trabis & festucæ, graues leuesque discernit inobedientiæ culpas. Nonne ipsa disputante, imò definiente, gradatim nobis distinguitur, quæ cuique reatui pœna debeatur, dum alium iudicio, alium consilio, alium & gehenna reum esse protestatur? Quanam ergo consequendi necessitas cogit, vt si Magistris diuina detur in suis præceptis Authoritas, nullum ideò iam Monacho leue, aut veniale peccatum inueniri posse putetur, & quod eius vniuersæ actioni crimen insidietur inobedientiæ: Esto, sit crimen cui pœnalis illa gehenna vel gehennalis pœna assignatur, quale, quæso, illud definiemus esse crimen, quod veritate indice reum tantum facit iudicio? Nec tamen diffitebimur esse reatum: quod vel hactenus reum statuit. Quod si reum, & peccatum.*

Porrò omne peccatum contra Dei Mandatum præsumitur. Quod autem contra Mandatum præsumitur, inobedientia dicitur. Hinc colligitur, quod irasci fratri, & inobedientia sit, & crimen non sit. En vnum inuentum est Monacho leue ac veniale peccatum, quodque non humani, sed diuini Mandati statuat E *transgressionem. In hoc genere sunt transgressionis* VV *nonnulla stultiloquia, seu vaniloquia, & quæque otiosè dicta, facta & cogitata. Huiusmodi enim numquam nisi contra Mandatum, & Dei Mandatum, vsurpantur. Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum; & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem, & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obstinatio in minimis quoque Mandatis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen grauis rebellionis næuum satis leuem simplicis transgressionis.*

A De sese] Editio noua Coloniensis *De se.*

B Quorumdam] Eadem editio *Quorumlibet*; &, vt existimo, significantiùs.

C Voluntatis] Editio ipsissima *Vtilitatis*. Dum Critici, alij *voluntatis*, alij *vtilitatis* scribendum existimant, videntur disputare controuersiam, quæ examinat: Vnde peccati grauitas desumatur? nimirum, An à voluntate præcipientis, an verò à rei præceptæ vtilitate? sed, quia Bernardus grauis & leuis discrimen à materia magna & parua, grauis & grauioris non solùm à materia magna maiori, sed etiam à magno & maiori præcipientis desiderio desumit, vtramque poteris lectionem sine Authoris iniuria, aut sensus præiudicio retinere.

D Culpa] Multæ editiones *Cura*, sed mendosè, sequi MSS. me coegit ipsamet ratio & armonia contextus.

E Transgressorem] Sic legi volui, sequutus impressa Exemplaria, tametsi in MSS. inueniam *Transgressionem*: nam peccatum non constituit Transgressionem, sed transgressorem, ipsum enim transgressio est.

V V Varius dictionum ordo.

Morales Ecthεses.

302 PVrabant Carnotenses illi Consultores omnem inobedientiam Regularem esse mortiferam; sed eorumdem conscientias sedat S. Doctor affirmans, nullam esse mortiferam, si contingat sine Legislatoris contemptu; sed quia, vt hoc probet etiam aliquas assertiones adsumit, quæ nobis poterunt prodesse easdem aut notabimus, aut examinabimus.

Prima. *Nemo caret peccato*. Hanc assumit sub capitis initium, & probat testimonijs Iacobi & Ioannis. [*Et intelligenda est de veniali, mortali enim multi carent*.]

303 Secunda. *Non omnia peccata sunt mortalia, sed & dantur venialia, quæ gratiam iustificantem non proscribunt*. Hanc tradit illis verbis, *Sed non continuè, vt aliquid præterimus, perimus*. Probat subinde ex Euangelio. Et ait, *Denique Veritas in Euangelio sub nominibus trabis, & festuca, graues leuesque decernit inobedientiæ culpas*.

304 Tertia. *Transgressio distinguitur à contemptu; peccat mortaliter Regula Benedictina Religiosus contemptor, non transgressor*. Hanc probat ex Esaja asserente Christum rogasse pro transgressoribus, non verò pro contemptoribus. Qualiter contemptus à negligentia differat, docuit S. Doctor. Cap. 41.

305 Quarta. *Illi perire non possunt, pro quibus Saluator rogat ne pereant*. Hanc tradit formalibus verbis; Sed videtur difficilis. Nam si necessariò accidere debet, quod Christus orat, non accidet, quod transgressores perire non possint, sed quod de facto non pereant; non enim Christus Dominus orauit, vt non possent perire, sed vt non perirent: ergo videretur clariùs fuisse loquutus Bernardus, si dixisset, *Illi non peribunt; pro quibus Saluator rogat ne pereant*. Vnde, vt omnis æquiuocatio proscribatur, illud *possunt*, de potentia reducenda ad actum intellige.

Quinta. *Prælatorum iussionibus tantum tribuendum est, quantum si diuinitus traderentur*. Assumit hanc ex Carnotensium principijs, vt certam; illam enim iam Cap 24. probarat.

306 Sexta. *Inter ipsamet mortifera peccata datur inæqualitas, crapula enim culpa est, sed minor ipsa simplici fornicatione*. Assertio omnino vera est; sed probatio alicui videretur ambigua, nam si crapula ad quintum Decalogi præceptum reducitur, & fornicatio ad sextum, maiori illa cura interdicitur, & in multis Prouincijs maiori pœna punitur; cumque teste Bernardo illa grauiora sint, quæ maiori cura prohibentur, & maiori pœna puniuntur, deberet dici grauiorem esse crapulam fornicatione.

Respondeo crapulam & ebrietatem contra salutem & vsus rationem militare, ac propterea contra septimum, non contra quintum articulum Diuinæ legis.

307 Septima. *Omnia peccata, etiam venialia, sunt contra legem Dei*. Vel si dubites, & existimes mortifera quidem esse contra, sed venialia præter, audi no-

nostrum Authorem. Explicaturus illud Matth. 5. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus gehennæ ignis*: Sic inquit; *Esto: sit crimen, cui pœnalis illa gehenna, vel gehennalis pœna adsignatur. Quale, quæso, illud definiemus esse crimen, quod veritate iudice reum tantùm facit iudicio?* [Verè crimen, id est mortifera culpa non est; aliàs enim etiam ignibus inferni puniretur:] *nec tamen diffitebimur esse reatum: quod vel hactenus reum statuit. Quod si reatum, & peccatum. Porrò omne peccatum contra mandatum Dei præsumitur; quod autem contra mandatum præsumitur inobedientia dicitur.... In hoc genere sunt transgressionis nonnulla stultiloquia, seu vaniloquia, & quæq; otiosè dicta, & cogitata. Huiusmodi enim nunquam, nisi contra mandatum, & Dei mandatum vsurpantur: peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur.*

308 Octaua. *Inobedientia aliàs leuis peccatum est mortale si fiat cum formali Legislatoris contemptu*. Sed hic placet diutiùs immorari, quia fuit olim quæstio difficilis, & hodie multò difficilior propter controuersias iuniorum.

309 Contemptum præcepti in materia parua non esse mortale peccatum, defendere videntur contra D. Bernardum *Caietanus* in summa verb. contemptus. §. Aduerte hunc. *Armilla* eodem verb. num. 3. *Medina* 1. 2. quęst. 88. artic. 4. sub finem. *Valentia* tom. 2. disput. 7. quæst. 5. punct. 6. in prim. casu. & tom. 3. disp. 7. quæst. 3. punct. 5. clariùs *Leonardus Lessius* lib. 2. cap. 46. dub. 6. num. 45. & 46. loquens expressè non solùm de Legislatore homine, sed etiam de Legislatore Deo. Vbi asserit non esse mortiferum nolle Deo parere in rebus minimis, vt quis ostendat se parua Dei præcepta parui facere. Et probatur; Posse quis contemnere Legislatorem non absolutè, sed quatenus præcipit rem leuem; atqui tunc non esset grauis, sed leuis contemptus: ergo & esset peccatum veniale.

310 Propiùs ad meum Magistrum accedunt *Sanchez* in summæ tom. 1. lib. 5. cap. 5. num. 11. & 13. & *Diana*, qui illum citat & laudat part. 3. tract. 6. resol. 72. credunt enim esse peccatum veniale contemnere Legislatorem creatum in re parua, non tamen Legislatorem increatum.

311 Sed Bernardi sententia placuit omnino pientissimo Francisco Suario, lib. 3. de legib. cap. 28. num. 4. Bernardus suam sententiam expressit hisce verbis. *Venialia & non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem, & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Illatio quippe contemnentis atq; impœnitentis obstinatio in minimis quoq; mandatis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen grauis Rebellionis næuum satis leuem simplicis transgressionis.*

312 Sanè cum authores lego, existimo ne vnum quidem à nostro quoad rem dissentire: sed, qui contrarij videntur, agere de contemptu materiali. Si de Deo agamus, aliud est contemnere rem lege latam, aliud Legislatorem. Res lege lata si leuis sit, parui fieri debet non verò nihili, sed si fiat nihili, est leuis deordinatio in contemptu: at grauis si Legislator Deus, aut nihili fiat, aut parui, debet enim amari super omnia, qui est Benedictus super omnia. Cùm Prælatus dicitur parui fieri formaliter, poterit contingere, quod parui fiat, vel qua Dei Vicarius & Legislator, vel etiam qua ignobilis, indoctus, imprudens. Sanè ista omnia valde diuersa sunt, & confundi sine periculo non possunt. Abbati debes deferre æstimationem debitam; ergo satisfacies, si deferas honorem grauem quà Prodeo, quà Abbati, quà Legislatori; paruum aut nullum

quà nobili, quà docto, si neutrum sit.

Ergo, qui contemnis illum quà Abbatem peccas mortaliter, negas enim ipsi magnum honorem debitum. Non tamen peccares mortaliter, si illum ob alias causas nuper expressas contemneres. Ita citatus Diana. Qui contemnis Authoritatem superioris formaliter, est paratus in nulla re, seu graui, seu leui obedire; ac propterea in statu peccati mortalis: at ille, qui non vult obedire in re leui, paratus tamen obedire in omni graui, non est dicendus contemnere superiorem formaliter, sed materialiter; non enim parui pendit præcipientis dignitatem (imò, siquidem velle obedire in rebus grauibus supponitur, eam maximi pendit) sed præcepti materiam; & peccat venialiter, quando ne subeat laborem aut incommoditatem, non vult in re parua obedire. Imo, si ex indignatione aliqua leui, aut leui inimicitia nolit in materia leui obedire, tunc etiã dicendus est contemnere superiorem materialiter, adeoque nonnisi leuiter peccare, asserentibus *Ledesma* & *Sanchezio à Diana* citatis, vbi supra. Vide *Ioannem Sancium* in Select. disput. 7. numer. 13. Sed hæc omnia meliùs intelligerentur cognito neglectus & contemptus discrimine, quod dedit caput vndenigesimum, & subsequens confirmat. Non tamen grauabor subiungere Resolutionem quam à paucis diebus dedi D. Alberico Erhardo, de hac eadem materia consulenti.

Quæstio ab illo proposita erat. An omnis contemptus formalis circa Regulam & statuta, aut circa superiores, etiã in materia leui, sit peccatum mortale.

Responsio fuit. Dico me hanc materiam, à paucis bene tactam, in Scolij num. 312. vberius pertractasse.

Nunc resoluo Religiosum nec dicendum formaliter contemptorem, cùm sepè legem violat, nec cum rem præceptã contemnit, sed cum præceptum ipsum.

Addo posse illud contemni absolutè & secundum quid. Absolutus contemptus in materia graui exponeretur hisce verbis: *Iussit mihi Prelatus ieiunare aliàs facturo; at quia ipse præcepit, non faciam: facerem, si non præcepisset.* Absolutus contemptus in materia leui. *Iussit mihi Superior vt irem ad Nonam, & quidem ire parato, at non ibo, habeo enim propositum omittendi quidquid ille præceperit;* nimirum *adeundi chorum, si inhibuerit, non eundi, si iusserit.* Et vterque contemptus est mortaliter peccaminosus propter animum totam iussionem & Superioris Authoritatem contemnentem.

At contemptus formalis secundum quid posset illis verbis exponi; *Iussit mihi Prælatus ire ad Nonam, & eo ipso non ibo; irem ni præcepisset, sum enim paratus ei obedire in rebus magnis; at vbicunq; parua præcipiat facere, contrarium statuo.* Et hunc vltimum contemptum putamus solùm esse venialem: & debere dici, vel materialem, vel formalem secundum quid.

Contemptus à Neglectu distinguitur.

CAPVT XXIX.

313 DEniq; *in quo obedientiæ crimen absq; dubio sit, apud Samuelem aduertite*. Quasi, *inquit*, (1. Reg. 15.) peccatum A Hariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. *Non ait, non adquiescere*, *sed*

ſed nolle adquieſcere; vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contemptio, ſcelus idololatriæ reputetur. Non eſt enim idipſum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris eſt, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod & ipſum repugnare eſt, & reſiſtere Spiritui Sancto, & ſi ad mortem vſq; perdurauerit, blaſphemia eſt non remittenda, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in futuro. Non ergo qualiſcunq; Mandati prateritio criminalem facit inobedientiam, ſed repugnare, ſed nolle obedire. Cæterum quanti abſq; illa peſſima & rebelli voluntate non obediunt? Quomodo itaq; Monacho crimen inſidiatur inobedientiæ, ſi toties B *ſine crimine tranſgreditur,* B *quoties in tranſgreſſione defuerit huiuſcemodi recalcitrans & contentioſa voluntas.*

---

314 A Optimè hariolandi & idololatrandi criminibus formalem contemptum Samuel comparat; optimè eum Bernardus pro ſua ſententia citat. Non negat grauem reuerentiam & obedientiam Dei, qui dicit, *Leue Mendacium res parua eſt, fallam Ambroſium officioſè, ſi eſſet graue crimen non facerem.* Imò, vt dicebam paulò ante Deum ſuſpicit, cum ſe profitetur paratum vt in omnibus rebus grauibus obediat. Ille verò, qui dicit: *Res leuis eſt, interim Legiſlatorem non curo, nolo fateri me eſſe ſubditum, nolo ei obedire, ſiue magna, ſiue parua præcipiat;* formaliter contemnit ſuperiorem, illi denegans debitam obedientiam, auferens propriam Authoritatem. Quod ſi nemini hanc attribuat hariolus, (hoc eſt, Atheus diuinæ authoritatis vſurpator eſt, (nam apud Iobum legimus, *Prædicite nobis futura, & dicemus, quod Dij eſtis vos.* Euidens enim futurorum præſcientia eſt diuinitatis character.) Si verò negatam obedientiam perſonæ illegitimæ adtribuat: idololatria eſt. Negat enim in Deo iuriſdictionem, quam cognoſcit in Ioue; negat Deo obedientiam, quam Ioui attribuit.

B Toties] Libri impreſſi habent, *Totiens & Quotiens*: ſed illud N. auribus perpolitis diſplicet, eò maximè omittendum, quod ſit nota Syllabæ longæ, quæ legentium errore in literam tranſiuit; priores enim legebant, *Toties, Quoties.* poſteà *Totiens, Quotiens*, iam barbarè *Toties, Quoties.* Illud tamen N. quod expungo, expungunt etiam MSS.

Adami peccatum exponitur.

CAPVT XXX.

315 F*Ruſtra autem comparant* A *quidam, vt dicitis, quaslibet inobedientias antiquæ illi, quæ* (Geneſ. 3. c.) *facta eſt in Paradiſo, quæ nimirum voluit non ſolùm obligare perſonam, ſed &* B *vitiare naturam. Arbitror tamen & ipſam primam grauiſſimamq; præuaricationem, aut non aliunde, aut inde maximè iudicatam grauiſſimam, hoc eſt, ex Rebellione defenſionis, quæ ſecuta eſt, quando Deo*

causam requirente peccati, vt ad pœnitentiam vv peccatores prouocaret (nolebat quippe mortem ipsorum; sed magis vt conuerterentur & viuerent) ipsi maluerunt declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris.

Primum, quòd nec sui misertus est, vt culpam propriam fateretur, & sanaretur.

Deinde, quòd & vxorem, vt se fallaciter excusaret, crudeliter accusauit.

A Quidam] Ita editio noua Coloniensis & bene, male manusc. *quidem*.

B Vitiare] Non autem *vitare* legendum est, tametsi in multis. Exemplaribus antiquis reperiatur: quid enim *vitare naturam*.

vv Varius eorundem vocum ordo.

Qualiter Adamus peccauerit.

316 EX litera huius Cap. credunt nonnulli Adamum ad mentem Bernardi non peccasse in transgressione præcepti, aut saltem non peccasse grauiter, sed in contumacia & defensione; immeritò tamē hanc notam nostro Doctori affingunt, Aliqui vt Bernardum excusent hanc ab eo quæstionem indecisam relinqui asserunt, nam proponitur sub distinctione, dum ait, *Arbitror tamen, & ipsam primam grauissimamq; prauaricationem, aut non aliunde, aut inde maximè iudicatam grauissimam, &c.*

Notant illud, *aut*, & tenent hæc proponendo, non resoluendo Mellifluum Doctorem posuisse. Sed & D. Bernardum cognouisse verum graueq; crimen in ipsamet pomi comestione, constat ex ipsismet verbis, quæ obijciuntur; supponit enim simplicem transgressionem præcepti fuisse grauem; & dubitat, an ex se fuerit non solùm grauis, sed grauissima propter defensionem, quæ secuta est. Cautè enim semel & iterum dixit *grauissimam* non grauem. Sic intelligendum esse nostrum Authorem cognouit I. Merlonus Horstius cum in margine posuit, *Inobedientia primorum parentum, vnde tam culpabilis?* Nota illud *tam*, quæ enim grauiter culpabilis erat propter intrinsecam malitiam, tam culpabilis non fuisset, ni fuisset defensio subsequuta. Hoc ipsum confirmant verba sequentis capitis, *Neque enim tantum, vt dictum est, nocuit simplicis actionis quamuis ex deliberatione transgressio, quantùm adiuncta excusationis cum præmeditatione, obstinatio.*

Adamo igitur nocuit transgressio: illa igitur peccatum fuit, Atqui pro illo statu in multorum opinione venalia non erant possibilia, & in omnium, si darentur, consequutioni finis nocere non poterant: ergò transgressio ipsa Adami præcisa ab impœnitentia & defensione ad mentem Doctoris Melliflui fuit peccatum mortale.

Nemi-

Neminem teneri ad impossibile.

CAPVT XXXI.

317 *QVid est, quod denique dicitis in omni actione Monacho crimen insidiari inobedientiæ, quasi, aut furtum subrepat nescienti, aut casu accidat infelici, aut non valenti implere, quod præcipitur, criminis calumnia struatur de impossibili? Itane, inquam, Monacho crimen insidiatur inobedientiæ, tum & antiqua illa tam nota, & tam noxia præuaricatio facilè, vt creditur, indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, & non defensio sequeretur? Neque enim tantùm vt dictum est, nocuit simplicis actionis, quamuis ex deliberatione transgressio, quantum adiunctæ excusationis cum præmeditatione obstinatio.*

---

318 Posse Deum, imò & solere impossibilia præcipere non erubuit asserere Joannes Caluinus, & ante eum Lutherus, & alij. Hanc potestatem etiam alij ad homines deriuarunt, credentes posse Dei Vicarios præcipere, quæ velint, tametsi humanis viribus improportionata. Hoc autem non est diuinam authoritatem commendare, sed incriminari, meus tamen Author hanc doctrinam *Criminis calumniam* appellat; qui enim talem Deo attribuit potestatem, eum aut nugatorem, aut Tyrannum esse profitetur. Tyrannum quidem, si seriò legem impossibilem ferat, & nugatorem, si iocosè.

Nec contra hæc militat Cap. 68. Benedictinæ Regulæ, ibi enim S. Pater impossibilium nomine intelligit difficilia. Vide Comment. num. 694.

Materiam paruam non solùm in lege diuina, sed & à fortiori in humana debere reperiri.

CAPVT XXXII.

319 *SEd numquid fortè in lege quidem diuina habenda est hæc consideratio grauioris leuiorisque inobedientiæ, non autem ita & in Regula nostra? Sed quis sanè dicat plus tribuendum humanis quam diuinis traditionibus, plurisq; quod per suos Deus, quàm quod per seipsum imperat æstimandum? An non denique & apud Sanctum Benedictum propria & distincta ab inuicem sententiæ inueniuntur* (Cap. 24. & 25.) *alia de leuioribus, alia de grauioribus inscripta culpis? Quid est autem leuior culpa, nisi leuior obedientia? Traduntur igitur à Prælatis interdum minora Mandata, quorum transgressio leuiora secundum*

Regulam parit & peccata , & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit A *quoties Abbatis iussio præteritur*. *Siquidem & ex ore ipso Dei non æqualia sunt promulgata ; & ideo non æquali vigilantia* VV *cuncta obseruanda, sed alia cura exhibenda est ei proculdubio. Quod ipse perhibet primum & maximum Mandatum* (Matth. 22. d.) *&* B *alia his, quæ alibi discernens*. Qui soluerit, *inquit* (Matth. 5. b.) vnum de his minimis meis Mandatis. *Quid ergo? Audiuimus ex Regula grauiores & leuiores culpas, legimus & in Euangelio maxima minimaque Mandata, & mandatorum transgressiones vniuersas: dicemus æqualiter maximas? Non est* C *ergo necesse vt concedam, quod dicitis, aut Deo scilicet non tribui omne, quod ab homine Magistro* D *accipitur, quod non sit contra Deum, aut Monacho nullum posse inueniri* VV *leue seu veniale peccatum; quia etsi toties Deo, quod fatendum est, inobediens esse conuincitur,* A *quoties eius, qui pro Deo* E *sibi præest, hominis Mandatum, quod quidem iustitiæ non repugnet, prætergreditur; sicut tamen non par cura in executione exigitur, sic nec quippe vnus est, qui offenditur, non tamen vnius ponderis, quæ iubentur; nec vnius subinde discriminis iussorum est omnium censenda transgressio. Vnde Pater Benedictus:* (Regulæ cap. 24.) Secundum, *inquit*, mensuram culpæ excommunicationis extendatur mensura.

A Quoties, Toties] Sine N. constanter legunt mea MSS. in omnibus locis, cum N. *Quotiens, Totiens*, impressa Exemplaria, & malè. Vide eaque notaui, *num.* 314. *B.*

B Et] Exemplaria multa non habent illud *Et*, multa habent.

C Ergo] Libri impressi *Igitur*.

D Accipitur] Editio noua Coloniensis *Accipiatur*.

E Sibi præest] Ita legitur in libris eiusdem editionis, sed mea MSS. habent *sibi est*, ex libris impressis corrigenda, euidens enim non *est*, sed *præest*, lectum iri.

De Peccato veniali Regulari.

320 DAri in materia Regulari peccata, quæ non sint mortalia, videtur demonstrari in hoc capite. Quia venialia etiam in ipsa lege diuina reperiuntur: ergo & à fortiori in humanis; non enim dicere oportebit, posse hominem suis legibus strictiùs obligare, quàm potest Deus.

321 Sed, quia hæc eadem venialia peccata ante Abbatis præceptum non admittit Bernardus, cui Regula est de materia præceptibili non de præcepta, *Traduntur igitur*, inquit, *à Prælatis interdum minora Mandata, quorum transgressio leuiora secundum Regulam parit & peccata*. Ergo cum materia est secundum Regulam, interdum traduntur præcepta: ergo materia Regulæ non est semper præcepta, aliàs enim non dicerentur *interdum* tradi Mandata, si semper traderentur.

322 Peccata venialia esse verè contra Deum testatur hisce verbis. *Transgressio leuiora secundum Regulam parit & peccata; & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties Abbatis iussio præteritur*.

323 Peccata esse inæqualia persuadet inæqualitatem formalem ex multis capitibus

pitibus desumit; ex cura qua inhibentur, ex virtutis oppositæ necessitate aut vtilitate: at quantitatiuum illud discrimen, quod inter mortale & veniale reperitur desumitur à quantitate materiæ. Vnde ait, *Etsi quippe vnus est, qui offenditur, non tamen vnius ponderis, quę iubentur. nec vnius subinde discriminis iussorum est omnium censenda transgressio.*

An expediret potiùs non profiteri, quàm torqueri scrupulis, exponi periculis, & laqueis irretiri? Resoluitur, Nullos esse laqueos, nulla pericula, nullum locum scrupulis in conuersatione Religiosa.

CAPVT XXXIII.

324 *Frustrà proinde, vt videtis,* A *terremini, aut terrere conamini de obedientiæ promissione, quæ fit ex Regulari professione, quasi non oporteat promittere quam constat, nec integrè posse teneri, nec sine crimine præteriri: siquidem Deo quidquid Dei minister homo perperam iusserit, imputandum constiterit. Frustrà inquam, ex hac occasione malum ita inobedientiæ exaggeratis, vt à tam necessario bono promittendæ obedientiæ terreatis; quia etsi difficilè* B *caueatur vbique subripiens vel insidians, vt vos dicitis, inobedientia, in tam varijs & innumeris, quæ à Senioribus indicuntur; non semper tamen damnabiliter, seu criminaliter, quod præcipitur non impletur. Etsi enim omnis inobedientia inexcusabiliter sit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, nisi quam remedium pœnitentiæ non sanat; nulla* C *enim letaliter criminalis, nisi quæ contemptum superbiæ non euitat.*

Benigna Melliflui Doctoris Resolutio.

325 *Magna igitur securitas filijs obedientiæ, & reuera* VV *hominibus pax bonæ voluntatis, quando in omni inobedientia sola* D *damnat impœnitentia, quam nescit, qui diligit Deum, sola incriminatur superbia, quam facilè cauet, qui timet gehennam: Sed exemplis clarius elucescet, quod dicimus: Si iubente Seniore vt sileam, verbum mihi fortè per obliuionem elabitur; reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens & deliberans spontè in verba prorupero, & rupero silentij legem, præuaricatorem me constituo, & criminaliter. Etsi impœnitens perseuero vsque ad mortem, peccaui* E *etiam damnabiliter.*

Satisfit Carnotensium Obiectioni.

AN & hoc durum fortasse videatur? Hac quippe sunt vestra, si benè recolo verba: cùm difficultatem seu impossibilitatem, vt F *vobis videtur, tenenda obedientia, vel cauenda inobedientiæ considerantes, in vitam ita Monachicam* G *exclamatis: Haeccine est illa eò securior quò arctior, eò certior quò magis ardua veniendi ad Deum via, vt Monacho naturaliter mala vix cauere, naturaliter bona vix pro communi infirmitate valenti implere, non minor tamen necessaria sit cautela ad cauenda, vel obseruanda, quæ sibi Prælatus suus, vel prohibere voluerit, vel iubere? Et subditis: Quod cum à multis credatur, licet a paucis; vel etiam à nullis ad integrum obseruetur, quid aliud operator talis sententiæ* H *crudelitas, quàm quod illa ab Apostolo* [Corinth. 8. c.] *tantum culpata manducandi Idolothyta libertas? Nil planè aliud, si ita esset, vt dicitis. Benè prorsus non potest conscius esse sibi, qui se non implere confidit, quod debere se credit.*

A *Aut terremini aut terreri conamini*, habet editio noua Coloniensis, at in meis MSS. non reperio illud primum *Aut*. Nota obiter quàm cautè carpat terrorem illum, adnotans non omnes terreri, qui videntur, sunt multi, qui cum præcipites & imperterriti sint, volunt videri timorati.

B Caueatur] Ita, & bene, mea MSS. quia *etsi* potiùs cum subiunctiuo, quàm cum Indicatiuo coniungitur. Sed libri impressi habent *Cauetur*.

C Enim] Alia exemplaria loco *enim* habent *est*.

D Damna] Retineo lectionem MSS. tametsi impressorum voluminum Correctores *damnatur* lectum iri contendant, vt cum verbo *incriminatur* passiuo, quod sequitur, cohæreat, imò vt cohæreat, debet *damnat* legere, quia *Incriminor* actiuæ significationis est.

E Etiam] Aliàs *Et*.

F Vobis] Manuscripta habent *vobis*, libri impressi *nobis*, vtraque lectio bona est, si primam retineas illud, *vt vobis videtur*, ad impossibilitatem refertur, si secundam, illud, *vt nobis videtur*, ad illud *hac sunt vestra verba*.

G Exclamatis] Editio noua Coloniensis *Exclamastis*.

H Crudelitas] Sequutus sum mea MSS. Editiones multæ habent *credulitas*; laudo vocem & sensum; retineo tamen illud *crudelitas*, sentio enim esse crudeles omnes illas sententias, quæ homines ad extremas angustias reducunt; Carnotenses autem, vt ex verbis D. Bernardi constat, scrupulis summis angebantur, & hoc propter credulitatem huius crudelissimæ & omninò improbabilis sententiæ.

I *Incriminor* videtur opponi verbo *Criminor*. Criminatio enim accusatio est, & Incriminatio defensio: Tertull. de Resurrect. Carn: *secundum scopum persequor, ad palmam incriminationis*, hoc est, irrepræhensibilitatis, vel operationis quæ

se irre-

se irrepræhensibilem esse probauit. Sed nostro Authori *Criminor* & *Incriminor* sunt eiusdem significationis.

Morales Ecthefes.

326 Varias iterum Positiones, quas superiùs probauimus adsumit; earum

Prima. *Deum lingua Antistitis loqui, iubere, præcipere;* Verba formalia sunt *siquidem Deo, quidquid Dei Minister homo non perperam iusserit, imputandum constiterit.*

Secunda. *In materia Regulę solum posse peccari mortaliter contemnendo formaliter pręceptum, aut spernendo pœnitentiam.* Contemnitur formaliter præceptum, cum contemnitur præcipientis authoritas; contemnitur, pœnitentia, cum superbè commissum peccatum defenditur, & pertinaciter laudatur, & pœna à Superiore imposita non admittitur. Est enim contemptus species ipsamet pœnitentiæ recusatio. His positis relege præsentis Capitis Articulum secundum & multa inuenies digna obseruatione, quæ Positionem pręsentem roborabunt.

327 Tertia. *Quę sanciuntur in Regula non obligant ante pręceptum Abbatis Ordinarij.* Colligo ex his verbis Bernardi, *si iubente Seniore, vt sileam, verbum mihi fortè per obliuionem* (culpabilem tamen) *elabitur, reum me fateor inobedientię, sed venialiter.* Et arguo sic, De silentio dantur sanctiones in Regula, & tamen, vt id obliget sub peccato veniali debet esse à Seniore præceptum; ergo sanctiones Regulæ non obligant, ni à Seniore seu Superiore præcipiantur. Probatur maior, quia præter alia loca in quibus commendatur silentium, totum Cap. 6. Regulę est de Taciturnitate.

Replicas hic non agere D. Bernardum de silentio Regulari, hoc est, à Regula statuto, hoc enim ante omne pręceptum, vt existimas obligat, sed de pręter Regulari, hoc enim, vt credis obligat si ab Abbate indicatur.

328 Respondeo hic agere D. Bernardum de aliquo silentio, quod quidem obliget post Superioris pręceptum: ergo de silentio, quod possit legitimè pręcipi, non enim obligat post pręceptum, quod pręcipi non potuit: ergo de silentio, quod sit secundum Regulam, nam Superior potest aliquid iniungere, quod non sit secundum Regulam, vt ex professionis monasticæ formula noster Author demonstrat.

329 Placent verba illa vltima, & ideò adnoto; *Bene prorsus non potest conscius esse sibi, qui se non implere confidit, quæ debere credit.* Ergò, qui est in gratia (hic enim est sibi bene conscius) certò scit se habiturum esse auxilium, vt satisfiat debito obligationis. Sed, & qui est in peccato actuali credit se teneri ad multa, quę cum malitia sui peccati componi non possunt; & quia ex volutabro luti egredi non vult, se satisfacturum pręceptis illis non confidit; scit tamen Deum pręsto esse, & sibi non deficere gratię vires, vt egrediatur, si velit.

Mora-

Morales Prælatorum sanctiones inuiolato Decalogo violari non posse: illas non esse Decalogo difficiliores.

CAPVT XXXIV.

330 *Creditis itaque, vt verborum vestrorum sensum breuiter colligam, quòd ad integrum Mandata obseruari Dei vix valeant, Abbatis non valeant; cum veritas ipsa testetur,* (Matth.5.c.) Ne vnum quidem iota præteritum iri. *Cæterum, qui ita sentit, videtur mihi, vt vestra* vv *pace dixerim, necdum gustasse, quàm suauis est Dominus, sub iugo legis gemere adhuc, nondum respirare sub gratia; suaue Christi iugum nequaquam esse expertus, ideoq; certissimè adhuc infirmari per carnem, quia Spiritus non adiuuat eius infirmitatem. Quid verò sibi vult illa distinctio; quod Dei quidem,* A *vel vix, Prælati verò hominis nequaquam omninò à quolibet iussa posse teneri, prohibitave conceditis; quasi verò illa queant absque istis integrè custodiri? Sed si attenditis, de malè quoq; viuentibus Prælatis Dei præceptum est* (Matth. 23. a.) Quæ dicunt facite. *Igitur, qui non facit, apertè non in hominem tantùm, sed & in Deum præuaricator existit.*

A Vel vix] Illud *vel* iudicarunt superfluum Cistercienses Critici, ideòque in editionibus varijs omiserunt.

vv Varius earundem vocum ordo sine perturbatione sensus.

Nota. Optimè probat Bernardus debere moraliter obedire Superioribus, peccareque si transgrediamur, optimè inquam id probat ex lege diuina. Nam non dari ignorantiam quarti præcepti Decalogi apud Bernardum falsum est. Natura enim dictante cognoscimus occidere Leonem esse contra Leonem, hominem occidere aut contemnere esse contra Hominem; sed alterum esse contra Deum, alterum non esse, qui sciremus, ni præceptum nobis Diuinum fuisset reuelatum? Inobedientiam & homicidia, & reliqua, quæ contra homines fiunt, interdixit Omnipotens, & ideò tenemur sub peccato mortali abstinere, non enim teneremur, si Deus non præcepisset, & tamen peccaremus in Hominem.

De ijs, quæ præcipiuntur propter aliud.

331 Media non debere esse pretiosiora ipso fine supponunt vniuersi Doctores, cùm examinant, An si Adamus non peccasset, Christus venturus fuisset? nam si Christi incarnatio assereretur medium ad liberationem Adami, videretur per consequens debere dici Deus imprudens & prodigus, vtpote, qui obtenturus finem finitum impenderet medium infinitum. Cui ratiocinio vt satisfaciant recentiores, propositiones

tiones singulas distinctionibus perplexis implicant & inuoluunt, nunquam tamen negant absolutè antecedens, debere enim media esse ignobiliora fine negari non potest. Vbi obiter notandum est, annuum cẽtum aureorum vsum æquiualere quinorum proprietati; nec debere dici prodigum, qui caret re pretiosa vno die, vt alius, leuioris pretij perpetuam proprietatem adquirat. Hinc constat imprudenter causari Seniores Carnotenses, cùm asserunt Abbatum Regulares sanctiones obseruari non posse. Regulæ enim & omnium Abbatialium legum scopus est custodia & lucrũ Charitatis, vt superiùs vidimus; Charitas autem virtutum vniuersarum imperatrix ita alias etiam supernaturales perfectione antecellit, vt ipsamet necessarijssima Fides, si Charitate careat non fit viua virtus, sed viuæ virtutis cadauer. Non solùm pretiosior reliquis, sed & difficilior est charitas.

Fidei contrariatur Infidelitas, Spei desperatio, Veracitati mendacium, & singulæ virtutes vnum vel alterum inimicum cognoscunt: at charitatem, delicatissimam virtutum, quodlibet mortiferum peccatum extinguit. Purissima enim est, ideoq; cum grauibus vitiorum sordibus componi non potest. Ergo non solum pretiosior est Charitatis substantia, sed & periculosior custodia. Errant ergo Monachi Carnotenses cùm asserunt, *quòd ad integrum Mandata Dei obseruari vix valeant, Abbatis non valeant*, arguentes de summa difficultate Decalogum; & Abbatis præcepta de impossibilitate: nam, si bene examinetur *Præceptum Charitatis* difficilius est omnibus Abbatum sanctionibus, & tamen vel ipsis asserentibus non quidem impossibile, sed difficile est.

332 Prætereà illa distinctio iterum displicet D. Bernardo, qua supponere videtur non dari in Decalogo secundum & quartum præceptum: quod clarissimè videre poterimus, si nostri Doctoris instantiam ad Dialecticum rigorem reducamus. Non possunt Abbatis præcepta temerari, quin contra quartum & secundum Decalogi præceptum peccetur: ergo si est impossibile seruare præcepta Prælati, etiam erit impossibile seruare præcepta Decalogi. Ergo periculosè dogmatizant Carnotenses Seniores, Dei præcepta vix obseruari posse, Abbatis non posse: cùm potiùs deberent asserere, vel vtraque posse, vel neutra. Antecedens probatur; quia Religiosus tenetur obedire superiori ex duplici capite: nam & filiusfamilias est, & quarto Decalogi præcepto teneri patrifamilias (is in Monasterijs est Abbas) obedire; & se illi obediturum vouit Deo; votumq; solenni Iuramento firmauit, & secundum Decalogi præceptũ præcepit omne Iuramentum seruari.

Prætereà eadem ratio aliter vrgeri potest contra eosdem Religiosos. Præcepta Dei seruari possunt: ergo etiam hoc, *Quæ dicunt Præpositi, facite*, vel si hoc non potest, falsa est illa assumptio, quæ vniuersaliter statuit præcepta Dei seruari posse. Si hoc obseruari potest; ergo etiam Antistitis præcepta, vt patet.

335 Si obijcias solere Prælatos sub prætextu obseruandæ Regulæ, multa præcipere omnino impossibilia, aut difficilia. Respondeo ex his, quæ sub initium prælibauimus, non posse iniungi medium, vt quatuor per media vt quinque; hæc enim debent esse faciliora & ignobiliora ipso fine. Præterea, si media moraliter impossibilia Prælatus præcipere posset, posset etiam præcipere euidens peccandi periculum. Sed & hoc quomodo posset ordinare, vt medium ad custodiam & lucrum charitatis? nullo modo profectò, nam euidẽs peccandi periculum non quidem ad custodiam, sed ad charitatis excidium ordinatur.

Neminem ad impossibile obligari Obedire Prælatis præcipientibus secundum Regulam non solùm non esse impossibile, sed esse perfacile.

CAPVT XXXV.

336 *ITane ergo nullus Mandata perfectè exequitur sui Magistri? Quamobrem putatis? Quia nolumus, aut quia non possumus? Sed si volumus & possumus, securi sumus. Si possumus & nolumus, superbi sumus. Porrò, ad cauendam superbiam illam verè annuerim necessariam esse cautelam quam dicitis, ne forte incurratur inobedientiæ crimen. Quod si impossibile vos putatis, vt non videlicet imperijs Prælatorum per contemptum interdum superbiæ resistatur; scitote non paucos, sed innumeros aliter omnino sentire, nec aliud quam quod proprio* A *didicerunt experimento. Si autem non impossibile quidem, sed tamen difficile esse sentitis, magistros non contemnere; & dum ideò consentitis, quoniam grauamini non superbè sapere murmuratis aduersus obedientiæ, legem, affirmantes periculosum promittere, quod tam laboriosum est obseruare. Ad hoc ego respondeo, immò non ego, sed Dominus.* Qui potest, *inquit*, (Matth. 19.) capere capiat. *Hoc quippe est, quod paulò superiùs dixi; Quia antequam ædificium incohares prouidisse debueras vnde perficeres. Nunc autem, vt ait quidam, aut non tentasses, aut perfice.*

---

337 Duo obseruo. *Primum* Mellifluí mei Doctoris sententiam excusare à culpa præcepti impossibilitatem, hanc enim veritatem frequentissimè assumit, & sub initium huius capitis tam clarè, tam pulchrè, vt sine literæ iniuria addi commentarius non possit.

Secundum. Carnotensium sententia leuia cum grauibus, neglectum cum contemptu confundi; qui enim viri nostræ speciei anima rationali prædíti credere potuissent, non esse possibile quòd subditus obediat Antistiti, quin illum formaliter sæpe contemnat, ni nomine contemptus intellexissent quamcumque leuem inobedientiam? Egebant sublimiori instructione, quæ grauia à leuibus, negligentias à contemptu distingueret; hanc liber iste benignissimè subministrauit.

A Didicerunt] Legitur in editione noua Colonensi, *didicerint*.

Neminem, cùm profitetur, promittere se in omnibus & singulis obediturum esse Prælato præcipienti etiam secundùm Regulam.

CAPVT XXXVI.

338 **V***Erumtamen nemo si cautè profitetur, pollicetur in nullo* VT *se vltra transgressurum, hoc est, iam non peccaturum. alioquin aut periurat qui ita iurat, aut sanctior est illo qui ait.* (Iacob. 3. 2.) In multis offendimus omnes. *Quod si* A *consequens falsum esse videtur, videndum est & de eo quod antecedit, ne fortè lex quæ data est propter transgressiones cohibendas, non solùm non eas coerceat, sed & augeat insuper crimine periurij: siquidem id promittere nos in nostra professione credamus, quod certum est non posse teneri. Partienda est proinde nobis in duo vniuersa hæc obseruatio regularis, in præcepta videlicet & remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remedijs restituitur post peccatum* B *innocentia. Sic ergo vtraque ista complectitur nostra professio; vt professus quisq; cum in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æquè regulare confugerit, etsi conuincitur transgressor mandati, non tamen pacti præuaricator. Solùm itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum, pactum præuaricasse, qui & præceptum contempserit & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui etiamsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos etsi sæpe deliquerit, non euadit; qui censuræ, quæ ex regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem regulæ est regularis correptio; & in ea reperitur non solùm bonæ vitæ instructio, sed & emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ & inobedientiæ remedia, vt ne peccando quidem à Regula recedatur. Fateor sanè impossibile cuiuis mortalium vel venialiter interdum non delinquere* D *in præceptis obedientiæ, sed nulla iam de impossibilitate querela, quandoquidem & ex regula licet* C *hic quoque quod criminaliter delinqui contigerit, emendare. Quod ergo dicitis à nullis posse obseruari ad integrum quidquid à Magistris præcipitur, verùm est; sed leuis culpa inobedientiæ est, & facilis cura eius inuenitur in Regula: si quidem sit transgressio absque contemptu. Si autem & ipsum deesse aliquando non posse contenditis, id quidem falsum est, sed nec talem tamen inobedientiam sine cura relinquit diligentia regularis. Et licèt fortiori egeat curationis medicamento, caret tamen morbo præuaricationis: nisi cùm & ipsum fortè medicamentum contemnitur.*

A. Est Axioma Dialecticum. *Ex veris legitima consequentia sequi falsum non potest.* Hinc est ille Syllogismus bonus creditur. *Consequentia est legitima; antecedens est verum: ergo & consequens.* Item hic, *Consequentia est legitima;*

& consequens falsum; ergo & antecedens falsum erit.) Hanc veritatem mente ideabat noster author, cùm has periodos ponebat.

B. Aliqua exemplaria habent *In innocentia*; carent tamen id *In* correctiora.

C. Hic.) Alij malunt legi *id*.

D. Delinquere.) Multa MSS. mendosè habent *derelinquere*.

Nota. Hoc caput tantam & talem doctrinam complectitur, vt *Clauis Moralis Theologia* debeat inscribi. O quàm pulchra! quàm bella! quàm benigna! & quòd mirabilius est, quàm solida ex hoc capite possunt deduci! Abite lectores ignorantes; solis doctis hoc caput scripsit meus Author; solis illud doctis commentor. Si singularis videar, esto; sequentur me multi, & ideò non ero singularis.

Clauis Regularis Theologiæ.

339. HVc, huc, omnes qui laboratis scrupulis, & pientissimus Doctor, sanctissimusque noster Præceptor erudiet vos. Legite, relegite huius capitis primam periodum. *Nemo si cautè profitetur*, ait, *pollicetur se vltrà in nullo transgressurum, hoc est iam non peccaturum*. Infero Ergo aliquando poterit Abbatis præceptum transgredi & materialiter contra illud peccare, quin peccet contra Deum. Probatur euidenter. debet subditus obedire Prælato, & hoc iure emissæ promissionis; ergo tenetur obedire eo modo quo promisit, & in materia qua promisit, non aliter. ergo non tenetur obedire contra Regulam, nec supra regulam, quia hoc non promisit. Ergo similiter; nec tenebitur obedire semper & in omnibus Regulæ articulis, quia cautè professus est, ideòque non fuit pollicitus se vltrà in nullo Regulæ articulo transgressurum. Antecedens, tametsi per se notum, verbis nostri Doctoris illustrabo ex capite 9. huius libri desumptis. *De hoc item non parum. Prælati præscribitur voluntati, quòd is qui profitetur, spondet quidem obedientiam; non tamen omnimodam* (nota bene) *sed determinatè secundum Regulam; nec aliam, quàm sancti Benedicti: ut oporteat eum qui præest, non frana sua laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram, & sic demum sua imperia moderari circa id solum quod rectum esse constiterit; nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod Prædictus Pater instituit. sic quippe habet professio. Promitto, non quidem Regulam,* (nota bene hanc exclusiuam & aduersatiuam) *sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti. Non ergo secundum voluntatem præpositi. Proinde si professo secundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum Regulam* (lege attentè), *aut etiam, quod non sit secundum istam* (puta Benedictinam) [*instituta verbi causa Basilij, Augustini, Pacomij;*] *quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? solùm quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi.* Ergò non potest exigi quòd non promisi: atqui non promisi me in nullo Regulæ articulo transgressurum; ergo non potest à me exigi, quòd in nullo transgrediar. Minorem probat S. Doctor hoc Capite 36. hisce verbis. *Alioquin aut peierat, qui ita iurat, aut sanctior est illo qui ait* [Iacob. 3] *in multis offendimus omnes.* Atqui consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor probabitur clarissimè. Crudele enim esset arguere omnes religiosos de crimine periurij, & dicere quod *id promittere nos in nostra professione credamus, quod certum est non posse teneri.* Et esset omninò temerarium excusare periurij crimen asserendo religiosum posse vitare omnia peccata venialia, cum contrarium doce-

doceamur à sacris scripturis & Patribus. locum Iacobi 3. iam vidimus, addemus alium ex 1. Ioann. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quæ verba dilucidauit Synodus Tridentina sessionis 6. Canone 23. vbi ait, *si quis hominem dixerit..... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

340 Ergo siquidem constat ex præmissis, verba Professionis Monasticæ posse multifariam contra mentem Institutoris & Commentatoris (hoc est Benedicti & Bernardi) retorqueri; proderit expresse proponere, quæ in professionis formula implicitè contineri noscuntur. Communis profitendi formula hæc est.

EGo N. promitto stabilitatem meam conuersionem morum meorum & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti Abbatis, coram Deo & Sanctis eius, quorum reliquiæ hic habentur in hoc loco, qui vocatur N. constructo in honorem Beatissimæ semperque Virginis Mariæ, in præsentia Domini N. Abbatis.

Ab hac parùm abeunt in aliquibus verbis accidentalibus aliqui Benedictini, vt Commentarij mei num. 512. notaui; cæterùm omnes conueniunt quoad verborum substantiam.

Considerans & perpendens verba D. Bernardi, menteque eius clarè, vt opinor, intellecta, iudico eumdem Sanctissimum Doctorem, cùm hanc formulam protulit habuisse intentionem, quam si expresse & adæquatè manifestaret, vteretur paraphrasi sequenti.

341 A. *EGo N. promitto stabilitatem meam, non qualemcumque sed secundum Regulam D. Benedicti.* B *Promitto insuper conuertere mores meos, non per qualescumque virtutes, sed per regulares, eo sanè modo, quo regulariter obligant, & non alio.* C *Promitto Obedientiam solenniter, ac proinde etiam Paupertatem & Castitatem, à quarum promissione & obligatione solemniter promissa separari non potest.* D *Promitto, inquam; non quidem ipsam Benedictinam Regulam, sed Obedientiam secundum Regulam; non contra, non supra,* E *non vltra, non præter: nec tamen secundum omnes & singulos articulos Regulæ;* G *non enim promitto me vltrà in nullo transgressurum, hoc est, iam non peccaturum, sed me in omnibus rebus* H *grauibus obediturum esse absolutè; in* I *leuibus autem obediturum, aut saltem regularem acceptaturum pœnitentiam. Hoc sub istis terminis expressum me præstiturum esse promitto Deo coram Deo & omnibus Sanctis eius, quorum reliquiæ hic habentur in hoc loco, qui vocatur N. constructo in honorem Beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, in præsentia Domini N. Abbatis.*

342 Verba antiqua retinui, & quoad fieri potuit formalia D. Bernardi addidi, quibus antiqua illustrarentur. Proderit singulas periodos examinare.

A. *Ego N. promitto stabilitatem.*] Nemo ita desipuit, vt omnimodam loci Stabilitatem promitti in professione solenni crederet. In ipsamet Benedictina Regula sunt expressa & distincta capita de peregrinis recipiendis, & de religiosis

ligiosis egressuris. Possunt igitur Benedictini Religiosi non obstante stabilitatis promissione ex proprijs monasterijs egredi cum licentia, imò & excorporari regulariter; vt vberiore calamo expendo in mei Commentarij libro septimo. nam & si Placidus in Siciliam & S. Maurus in Gallias regulariter iuit, & noua ibi monasteria fundarunt. Vide num. 1828. & 1837. Comment.

343 B. *Promitto insuper conuertere mores meos*] Habet antiqua formula, *Promitto..... conuersionem morum meorum*, sed quia hæc conuersio debet esse regularis, & non irregularis, placuit, illis verbis vti maioris claritatis gratia. Videatur Commentarij citati disputatio 47. quæ hanc monasticam obligationem controuertit, expendit, & resolutiones præcipuas decem plurium Louaniensium Doctorum authoritate firmat, roboranda testimonio nostri Authoris Capite 41. dicentis, *Nemo quippè cùm profitetur spondet Regulam, sed determinatè secundum Regulam sui quisque conuersionem, suamque deinceps conuersationem sese pollicetur dirigere. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè monachis communis professio est.*

344 C. *Promitto obedientiam solenniter; ac proinde*] Obedientiam Paupertatem & Castitatem esse virtutes statui Religioso essentiales, nec posse vnam promitti solenniter alijs exclusis clarius est, quàm debeat controuerti: ideoque potius illud suppono quam persuadeo.

345 D. *Promitto, inquam, non quidem ipsam Regulam*] sunt verba formalia Bernardi. *Sic quippe habet professio*, ait huius libri capite 9. *Promitto non quidem Regulam, sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti: non ergo secundum voluntatem Præpositi.* Dedi paulò ante integrum contextum, proderit, si attentè regulatur. Ergo D. Bernardus inter hoc quod est promittere Regulam, & promittere obedire secundum Regulam, distinguit. Sensit ergo illos qui profiterentur Regulam teneri illam obseruare etiam si non præciperetur de nouo; at nos, vtpotè non professos Regulam, sed obedientiam secundum Regulam, teneri obedire Præposito, sed cùm iubeat secundum Regulam, [hoc est quæ aut expresè continentur in Regula, aut sunt media proportionata ad eorum obseruantiam, quæ in Regula expresè continetur,] non verò cum pro voluntate. Adsonat sibi Cap. 41. & ait, *Nemo quippe cum profitetur, spondet Regulam, sed determinatè secundum Regulam &c.*

346 E. *Non contra, non supra, non vltra;*] Bernardus in hoc eodem libro c. 10. *Quisque Professus in quouis genere salutifera vitæ, nec vltra Obedientiæ lege cogendus, nec citrà est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio: quantò minus contrà...... Ergo Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, Nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà.*

347 F. *Non vltra, non præter.*] Bernardus citati libri capit. 9. *Solum à me posse exigi arbitror, quod promisi.* & Capite 10. *Nil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi: nec plus exigat quàm promisi.* Dantur ergo aliqua vltra & præter illa quæ promisi.

348 G. *Non enim promitto*] Sunt formalia ex D. Bernardo desumpta, in huius enim libri cap. 36. *Nemo si cautè profitetur, pollicetur, se vltrà (hoc est, imposterum) in nullo transgressurum, hoc est, iam non peccaturum: alioquin aut peierat, aut sanctior est illo,* &c.

349 H. *Me in omnibus rebus grauibus obediturum*] Cùm grauia à leuibus distinguo, & Caput hoc Bernardi de grauibus intelligere nolo, fortè alicui se verior, quàm deberem, videbor. Bernardus non distinguit, inquies, ergo nec nos debemus distinguere, maximè cùm hæc distinctio sit odiosa, & odia restringenda sint, & fauores ampliandi.

Hoc

Hoc non est, addis, Bernardi benignam opinionem exponere, sed aut corrigere, aut saltem limitare. Ergo cùm ex Bernardi contextu constet euidentissimè, Religiosum promittere aut obedire Prælato, aut subire pœnitentiam; cur hoc dogma ad præcepta leuia contrahitur? cur non admittitur etiamsi materia sit grauis?

350 Respondeo satis clarè D. Bernardum mentem suam exposuisse, cùm rationem fundamentalem posuit; cumque hæc solùm probet, de leuibus, non verò de grauibus; dicendum omninò est D. Bernardum non posse de grauibus intelligi; ac propterea cùm materia præcepta fuerit magna, non sufficere quòd omittens sit paratus subire pœnitentiam; sed est omninò necessarium, quòd obediat, aut peccet moraliter. Quòd Bernardi ratio solùm subsistat in materia leui, ostendetur clarissimè, si semel in materia leui, & iterum in graui ponatur.

350 Agamus priùs in materia leui. *Nemo si cautè profitetur*, ait Bernardus, *pollicetur se vltrà in nullo* (ne quidem leuiter) *transgressurum, hoc est, iam non peccaturum* (leuiter) *Alioquin aut peierat, qui ita iurat; aut sanctior est illo, qui ait, in multis* (saltem leuiter) *offendimus omnes*. Hæc ratio sic deducta fortis est, & digna Mellifluo Doctore. At monstrosa erit, si in materia graui ponatur; erit enim hæc; *Nemo si cautè profitetur, pollicetur se vltra in nullo* præcepto sui Abbatis grauiter) *transgressurum, hoc est, iam non* (grauiter) *peccaturum. Alioquin aut peierat, qui ita iurat; aut sanctior est illo qui ait; In multis* (& grauiter) *offendimus omnes*; Vbi vix reperiam verbum, quod careat reprehensione: quod vt clariùs & euidentiùs cognoscatur, eamdem omninò rationem, imò & eadem verba ad syllogisticam formam reducam. [Qui profitetur, ais; non pollicetur se vltra in nullo sui Abbatis præcepto grauiter transgressurum: ergo poterit aliquando sine culpæ scrupulo præcepto non obtemperare etiamsi materia sit grauis. Patet consequentia; quia non tenetur ad id, quod non promisit. Probas antecedens. Qui sincerè profitetur periurus dicendus non est; atqui esset periurus, si iuraret & polliceretur se in posterum in nullo sui Abbatis præcepto grauiter transgressurum. ergo qui profitetur, non pollicetur se vltra in nullo sui Abbatis præcepto grauiter transgressurum. Probas minorem. Periurus est qui se promittere in professione credit, quòd certum est teneri non posse. Atqui certum est quod nemo possit obedire Prælato, quin in eius præceptis grauiter aliquando delinquat: ergo esset periurus, qui iuraret & polliceretur se in posterum in nullo sui Abbatis præcepto grauiter transgressurum. Consequentia est legitima; Maior desumpta ex D. Bernardo hoc capite 26. qui ait, *Augeat insuper crimine periurij siquidem id promittere nos in nostra professione credamus, quod certum est non posse teneri*: Minorem probas. Nemo est sanctior Iacobo Apostolo in gratia confirmato: Sed iste non poterat obedire, quin in præceptis grauiter aliquando delinqueret: ergo certum est, quòd nemo possit obedire Prælato, quin grauiter aliquando delinquat. Probatur minor, quoniam ipsemet ait, *In multis (grauiter) offendimus omnes*.] Ecce vides omnes minores falsas inniti Iacobi confessioni, qui cùm dixit, *In multis offendimus omnes*, agebat de leuibus & non de grauibus, vt nemine dempto omnes tenemus orthodoxi.

351 1. *In leuibus autem*] Hæc periodus est Synopsis totius capitis 36. cuius liceat resumere hæc verba. *Partienda est proinde nobis in duo vniuersa hæc obseruatio regularis, in præcepta videlicet & remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remedijs restituitur post peccatum, innocentia. Sic ergo vtraque*

ista

ista complectitur nostra professio, vt profes-sus quisque cum in aliquo forte regularium (leuium) *mandatorum deliquerit si ad remedium aquè regulare confugerit, etsi conuincitur transgressor* (leuis illius) *mandati, non tamen pacti prauaricator. Solùm itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum, pactum prauaricasse, qui & præceptum contempserit & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui etiam si interdum obedientiæ limitem* (sed leuiter) *præterit, consilium non respuit pœnitentiæ; Regulares namque terminos, etsi sæpe* (sed leuiter) *deliquerit non euadit, qui censura, quæ ex Regula est, disciplinam non subterfugit.* Nota etiam illud *sæpe*, quod in vltima periodo ponitur; vt scias posse Religiosum teste Bernardo in multis offendere, si leuibus, quin peccet contra obedientiæ præstitam deuotionem. Et cap.37. *Cui enim iam vel ita professo impossibile, imò per Dei gratiam non perfacile sit cauere prauaricationem, vbi non inobedientia,* (leuis) *sed impœnitentia facit prauaricatorem? hoc quippe iam dixi profitentium nemo spondet, vt iam non peccet* (leuiter,) *& ob hoc non continuò vt quispiam aliquo modo* (vel leuiter) *non obedit, prauaricatorem se constituit.*

Sicut nimis seuerus videar, fatebor D. Bernardi verba illæso grammatico sensu posse de grauibus præceptis explicari, sed tunc ratio Bernardi non subsisteret, vt vidimus paulò antè. Ne igitur dicamus Doctorem Mellifluum leui subnixum fundamento in re grauissima tulisse sententiam, eius literam de materia leui, quam ratio præmissa probat, & Iacobi testimonium confirmat esse intelligenda pronuntiamus. Accedit, quòd tota ratio, propter quam excusat Bernardus præceptorum transgressiones, sit obediendi impossibilitas; hæc autem in materia graui non datur, sed solùm in leui, vt constat ex testimonijs adductis, & hac eiusdem Melliflui Doctoris periodo; *Fateor sanè impossibile cuiuis moralium vel venialiter interdum non delinquere in præceptis obedientiæ.*

352 Corollariũ. *Regula non obligat mortaliter ante præceptum Abbatis*. Ostenditur. Quia si obligaret, violatores peccarent venialiter aut mortaliter; neutrũ potest dici: ergo. Minorem probas, & primò quoad posteriorem partem: quia nemo illam obligationem ad mortale admisit aut adserait, & scimus hanc esse in ethica Christiana consequentiam securissimam, *Omnes nemine dempto dicunt non esse peccatum mortale: ergo non est*. Sed quoad priorem partem demonstratur. Strictiùs obligat Regula post præceptum Abbatis quam ante, atqui post præceptum Abbatis materiale leuis non obligat ad veniale: ergo nec ante. Minor est superiùs, vt existimamus; demonstrata. Ergo in Regula non dantur præcepta sed præceptibilia ante iussionem Abbatis. Probatur, quia si darentur obligarent iuxta materiæ quantitatem, in grauibus grauiter, & in leuibus leuiter: atqui in leuibus non obligat Regula leuiter ante Abbatis iussionem: ergo nec in grauibus grauiter. Igitur post voluntatem Abbatis obligabunt eò Sanè modo, quo Abbas voluerit nimirùm, pœnaliter, si tulerit præceptum pœnale; moraliter, si morale; dicendum ergo est liberum esse Abbati, quòd Regula obliget ad pœnam aut ad culpam.

In Regularibus præceptis nec obseruandi impossibilitatem, nec peccandi necessitatem reperiri.

CAPVT XXXVII.

353 *QVæ cum ita sint, frustra de impossibilitate causamur, qui Regulam profitemur; frustra nobis de peccandi necessitate,* A *blandimur, vt ideò iusta imperia Prælatorum Deo non imputanda, sed tamquam hominum contemnenda putemus, ne rem videlicet impossibilem continere nostra professio videatur, si tantum ex ea hominibus, quantum Deo obedientiæ deberi asserimus. Cui enim iam vel ita professo impossibile, imo per Dei gratiam non perfacile sit cauere præuaricationem, vbi non inobedientia, sed impœnitentia facit Præuaricatorem? hoc quippe, vt iam dixi, profitentium nemo vv spondet, vt iam non peccet, & ob hoc non continuo, vt quispiam aliquo modo non obedit, præuaricatorem se constituit; nisi, qui se fortè sic professum falsò existimat, quales vos vtique asseritis esse non paucos. De quibus etiam, si qui tamen sunt, vt dicitis, verum est & quod subditis, quod nihil aliud vtique vv illa talis eorum credulitas, vel potiùs crudelitas in suis ipsorum operatur conscientijs: quam noxia illa recumbentium in idolio libertas in alienis. Necesse est enim qui huiusmodi est, ex propria perire sententia: quemadmodum in illius scientia clamat Apostolus,* (1. Corinth. 8. c.) Infirmum perire fratrem: *Et quomodo nihil esse commune item ipse perhibet,* (1. Ti. 4. b. & Rom. 14. c.) *quod cum gratiam actione percipitur, nisi ei qui putat aliquid esse commune; ita & regularis professio, quantum in se est, damnabilis non est, nisi ei qui damnabilem putat: quod quatenus putari oporteat, puto satis superiùs demonstratum.*

A. Mira res! blandimurne? imò exasperari & horrere videmur, cùm vel minima necessitatis aut impossibilitatis suspicio mentem subit. Ita est verū; sed hoc si mentem liberam subire possit. Actu per se primo opinio Lutheri, Caluini; aliorumque monstrorum cognoscitur & horremus, cum actu secundo eadem deliberationi occurrit, aut despicimus aut fragilitati ipsi blandimur. Conamur enim sentire contra sensum rationem & dictamen, vt habeamus vnde nostra crimina excusari posse putemus.

Hic obiter. Est ne possibile, quòd hunc tractatum Caluinus legerit (legit quidem, quia citat frequentissimè) & non viderit clarè Bernardum à peccatis omnem necessitatem proscribere; à merito omnem omittendi impossibilitatem? Aut fallor, aut tam clara res est, vt arbitrij indifferentia à nemine negari possit. Tam certum à Bernardo fuisse semper assertam, vt contrarium insinuari non possit; quin corruat tota Philosophia & Theologia Bernardi.

An voti solennis obligatio augeri aut minui possit priuata profitentis cautela.

354 TRia in hoc capite obseruo notatione dignissima. *Primum*, D. Bernardum vel ipsa necessitatis & impossibilitatis nomina formidare; *Secundum*, sentire in professione Monastica cautos Religiosos non polliceri in minutissimis & leuibus obedituros semper esse: *Tertium*, incautos id fortassis promittere.

355 Circa primum nihil occurrit speciale; si enim vel necessitas vel impossibilitas nostris actibus prædominaretur, cessarent ipsamet præcepta; hæc enim de necessariò faciendis, nec de necessariò omittendis feruntur. Videantur, quæ dixi superiùs alijs locis, Bernardus enim hanc eandem veritatem frequentissimè assumit.

356 Circa secundum nihil debere dixi existimo, cùm tota illa materia clarissimè & solidissimè, vt opinor, fuerit capite præcedenti tractata.

Circa tertium occurrit grauis difficultas, quæ inquirit, Vtrùm profitentis cautela possit obligationem solennis professionis contrahere, vtrùm extendere imprudentia? Pro parte enim affirmatiua videtur militare Bernardus, Capite enim 36. sic ait, *Nemo, si cautè profitetur, pollicetur se vltra in nullo transgressurum*. Infertur, *ergo, qui incaute profitetur, pollicetur se vltra in nullo transgressurum*. In ipsa igitur solenni professione plus pollicetur, qui profitetur incautè; minus, qui cautè. Videtur adsonare sibi Capite 37. *Non continuò, vt quispiam aliquo modo non obedit, preuaricatorem se constituit, nisi, qui se fortè sic professum falsò existimat. quales vos vtiq, asseritis esse non paucos*. Sed re bene examinata ex eius Melliflua doctrina, has Ecthéses certissimas infero. Sit

357 Prima. *Nec priuata vnius particularis cautela, aut imprudentia præstabit, vt verè strictiùs, aut benigniùs tenentur ad sui Monasterij obseruantias*. Ratio est; quia solennis professio est votum solenne ab Ecclesia approbatum: ergo, si non sit eo sensu & modo quo ab Ecclesia approbatum: solenne non est. Ergo, qui habuit voluntatem emittendi solenniter vota, qualia Ecclesia approbaunt, & interim putabat esse seueriora quam reuerà sunt, se (vt verbis Bernardi vtar) illum rigorem professum falsò existimat, quales Carnotenses asserebant esse non paucos.

358 Secunda. *Publica vnius communitatis consuetudo priuilegio, aut causa sufficienti innitens, si prudenter censeatur præscripta, potest facere, vt in vno Monasterio strictiùs, in alio benigniùs profiteantur Religiosi obedientiam, & alias regulares obseruantias*. Ostenditur. Quia ab Ecclesia omnia illa approbantur, quæ iuxta Canones & iura Ecclesiastica fiunt; atqui communitatis præscripta consuetudo est secundum Canones & iura Ecclesiastica: ergo dicenda est ab Ecclesia approbari. Sed hanc vltimam Capite 41. litera manifesta probabit.

Supponetur peccare, qui cùm bona operatur, se delinquere existimat: Inquiritur, An mereatur, qui cùm mala operatur, existimat se legi diuinæ satisfacere?

CAPVT XXXVIII.

359 H*Inc iam* A *respondendum est quæstiuncula, quæ incidit vobis occasione Apostolici præsentis capituli: Quæritis nempe, vtrum nam ista de Idoloticis Pauli sententia:* (ad Rom. 14. 14.) Puto, quia nihil commune est in Christo, nisi ei, qui putat, quod commune esse, illi commune est: *& rursum* ibidem. 14. 23.) comederit, damnatus est, quia non ex fide, *in generalem Regulam trahi possit; quatenus malum* B *cuique sit bonum quoque, quod agit, si malum esse crediderit; ac tantum malum, quantum crediderit: Quod si annuero; rursum pergitis inquirere. Cur non è contrario tantum cuiq; bonum sit, quod operatur, quantum vel falsò opinatur? Mirum quippe vobis, imò & iniustum videtur, vt plus in malo quam in bono humana valeat intentionis opinio. Si respondero de malis quidem meritò ita credi* propter oculum nequam. (Matth. 6. c.) *Respondebitis nimirum & mihi, non immeritò quoq; propter simplicem oculum idem æquè putandum est de bonis. Nam qui dixit: ex oculo nequam corporis tenebris æstimari, indicauit & de simplici lucem æquè corporis approbari. Sed videte ne fortè non sit verè oculus simplex, qui fallitur. Fallitur enim tam, qui bonum malum, quàm qui malum bonum putauerit. Scitis autem neutrum horum, væ illud euitare Propheticum.* (Esa. 5. c.) Væ qui dicitis bonum, *cùm tamen* C *q. (* fortè *quin) hoc velit cauere maledictum, de quo Veritas pronunciat, quod sit lucis totius* C *corporis, id est, operis argumentum. Sed absit vt præco veritatis clamet contra veritatem, malè dicat is, quod illa probauerit. Ego vt interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria: charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: & nescio quemadmodum iudicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram instruere discipulos simplicitatem Magistra veritas.* (Matth. 10. b.) Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Præmisit ergo prudentiam (* virtus est, non quæ intuitiuè cognoscit veritates, sed quæ illas rimatur probabiliter. *) sine qua neminem esse posse satis simplicem sciret. Quomodo deniq; verè simplex erit oculus cum (* crassa *) ignorantia veritatis? Aut verò vera dici potest simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim.* (1. Cor. 14. g.) Ignoras (culpabiliter) ignorabitur (inculpabiliter.) *Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, beneuolentia atque Prudentia; vt oculus videlicet cordis non solùm pius,*

qui fallere nollit; sed cautus sit, qui (vincibiliter & sine sufficiente probabilitate) *falli non possit* (Ratio est; quoniam, qui vincibili laborans ignorantia decipitur volens & lubens decipitur, & ideo culpabiliter errat.) *Cæterum sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona: Amor boni, cognitio veri* (non quidem vera, hæc enim necessaria non est, sed prudens & probabilis) *sic nequam oculum duo è regione mala constituunt*, (uincibilis & uoluntaria,) *cæcitas, qua fit vt veritatem non agnoscat; & peruersitas, qua vt diligat iniquitatem. Porrò inter duo hæc bona, quæ nec fallere, nec falli sinunt, & duo illa mala, quæ tam falli, quàm fallere faciunt, duo sunt media; vnum in quidem bonum, per quod oculus interior, & si falli queat ignorantia veri, zelo tamen boni fallere penitus non consentit. Alterum verò malum, quod licet veri notitiam non impediat, Amorem tamen boni præ malitia minimè sentit.*

Vt quæstionem propositam solidè resoluat S. Doctor, Boni & Mali conceptum in proprias species subdiuidit.

360 *ET quoniam omnis res meliùs diuisione innotescit, secundum hoc duplex malum, & illud item geminum bonum quadrifariam diuidamus oculum cordis, in bonum & meliorem, in malum & peiorem: & subdamus exempla. Est qui bonum diligit & malum* (crasse) *nesciens agit: huius bonus, vv quidem est oculus, quia pius, non tamen simplex, quia* (uincibiliter) *cæcus. Et est, qui bonum & libenter agit, & prudenter* (*hoc est*, rationabiliter & probabiliter) *intelligit: Istius reuera oculum non immeritò simplicem dixerim, vtpotè, cui neutrum bonum desit, nec zelus. scilicet bonus, nec scientia.* (*hoc est*, prudentia.) *Hunc profectò requirit oculum Deus cùm* (Psalm. 13. a.) respicit super filios hominum, vt uideat si est intelligens aut requirens Deum. *Est è contrario, qui bonum minimè diligens ex malitia quidem peruersus est; sed sapiens, vt faciat malum: per ignorantiam* (inuincibilem.) *cæcus non est. Quem quidem ideò nondum appellauerim nequam, quod vnum ei licèt ad suum malum non desit bonum, id est scientia. Sed est, qui bonum fortè nesciens, quod non diligit, agit: cui profectò non incongruè id, quod dicitur* nequam, *assignauerim, eo quod neutro careat malo, nec cæcitate scilicet, nec peruersitate. Dicitur siquidem* Nequam, *quasi* Nequaquam, *vt is solummodò* Nequam *appelletur, qui nequaquam, hoc est, in nullo penitus appareat bonus, sed sit vtroque bono vacuus, tam videlicet veri notitia, quam & beneuolentia. Alius est itaque pius oculus, non quidem fallere promptus, sed vv tamen, vt dictum est,* (vincibiliter) *pronus; De quo Propheta* (Oseæ 7. c.) Effraim, *inquit*, quasi columba seducta non habens cor. *Alijs is quem Dominus simplicem dicit, tam nec fallere facilis, & quàm falli; de quo & Apostoli docentur, cum eis* (Matth. 10. b.) *dicitur* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Et item alius est oculus simpliciter malus, fallens vtique libenter, sed non facilè*

falsus.

falsus; qualem profectò habent illi, qui ore Dominico astruuntur, (Luc. 16. b 8) prudentiores esse filijs lucis in generatione sua: *& alius quem nequam esse ꝗ diffinimus, quia sit dupliciter malus, cui quippe & malitia parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit: ita, vt sæpè nesciens & malum, quod vult non faciat, & bonum faciat, quod non vult. Obscuratum est,* v v *nempè Insipiens cor eorum, qui istiusmodi sunt. Et quasi iam traditi in reprobum sensum bonum* H *omninò, nec diligere, nec dignoscere queunt. De talibus scriptum est:* (Prouerb. 18. a.) Impius cùm uenerit in profundum malorum, contemnit.

Nam qui huiusmodi est, cauere profectò malum non vult, H *etiamsi possit, nec si velit scit* (crassa enim ignorantia excæcatur.) *Quamobrem, hunc oculum in Superiori diuisione illo altero censui non immeritò peiorem; non quia malignior sit, sed quia periculosior. Ignorantia quippe securiorem securitas segniorem facit, non nequiorem. Est tamen ex hoc proculdubio deterior, quòd ille solùm habet malum, malam intentionem, iste &* (uincibiliter) *falsam considerationem. Ille vno caret è duobus bonis; bono zelo; iste & vero iudicio. Ex hoc itaque pessimo oculo, qui neutrum bonum habet, & item ex illo optimo, qui neutro caret; sentiendum est veritatem deseruisse,* aut tenebris obuolui totum corpus, aut luce perfundi. *Nam reliqui duo, quorum neuter vtrumque aut bonum habet, aut malum, etsi ex parte* I *possint non tamen toti sufficiunt vel lucem dare, vel tenebras corpori.*

Propositæ Quæstionis resolutio.

361 S*I igitur, vt* K *iam ad propositam quæstiunculam reuertamur, is verè oculus nequam est, qui peruersus pariter & cæcus bonum agit & malum credit, vtique rectè operando, sed opinando iniquè bonum sibi in malum vertitur; & tantum* L *malum quantum crediderit? quandoquidem iuxta* v v *Domini sententiam* totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam. *Quid enim luci relinquitur, vbi nec pia intentio, nec vera opinio inuenitur? At non ideò sequitur, vt qui è contrario malum facit, & bonum* (uincibiliter) *putat, iuxta fidem suam similiter & ipse inueniat. Quare? Non est quippe simplex oculus ille, qui ex iudicio veritatis* (uincibilis enim ignorantia iudicium ueritatis non est; esset, si esset insuperabilis & inuincibilis; esset enim indicium & veritatis probabilis, & veræ probabilitatis,) *totum corpus lucidum reddat, qualem profectò superiùs desiuimus. Neque enim ex toto adhuc tenebræ desunt, vbi* (crassa & superabilis) *ignorantia veritatis lucem obscurat bonæ* M *voluntatis. Cum itaque ille oculus vtrumque malum, is verò minimè vtrumque habeat bonum, nonnè ratio videtur exigere, vt plus ille noceat, quàm prosit iste? Neque enim consequens est, vt tantum valeat in bonum, bonum vnum quantum duo mala in malum. Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam; nec planè condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocumque non erit* (vincibiliter) *de-*

cepta

cepta simplicitas. Cur inquis? Numquid non ex fide? prorsus ex fide (ex conſcientia, ex æſtimatione, ex opinione) *ſed falſa: vel certè totius non ex fide; quia fides falſa* (*hoc eſt*, confidentia nata ex fundamentis improbabilibus & clarè falſis) *fides* (& credentia meritoria) *non eſt. Denique de fide vera* (*id eſt*, de credentia verè probabili) *non de falſa* (& improbabili) *puto dixiſſe Apoſtolum* (ad Rom. 14.) Omne, quod non eſt ex fide (*ſiue quod idem eſt*, Omne, quod non naſcitur ex ſincera & probabili credentia) peccatum eſt. *Non autem ex fide vera* (& credentia inſuperabiliter errante) *bonum creditur, quod malum* (euidenter) *eſt: eſt enim* (euidenter) *falſum. Peccatum igitur eſt. Vtrumque igitur proinde complectitur præſens capitulum:* Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt, *& cæcam videlicet malitiam & deceptam innocentiam; quia quod à neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio praua, & malum non penitus excuſat recta. Siue itaque malum putes* (vincibiliter) *bonum, quod fortè agis, ſiue bonum malum, quod operaris, vtrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide.* (& conſcientia) *licet ſanè admodum vv leuius peccetur, vbi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm vbi maligna latet etiam in non u mala actione intentio. Verum quod abſque vel minimo peccato non eſt, purum bonum minimè eſt. Quo pacto ergo bonum non purum puro malo cooperabitur in efficientia? Hoc eſt, vt tam efficax ad bonum illud ſit, quàm ad malum illud? Et hæc ſuper hac quæſtione ſufficiant: nam ad Superiores quoque ſatis eſſe reor reſponſum ſuperiùs. Et quidem vos eaſdem ſæpiùs dubitationes iteratis atque reuoluitis; ſed mea non intereſt ipſarum toties repetere ſolutiones. Sufficit enim ſemel ſoluiſſe, etiam quod crebriùs in quæſtione verſatum fuerit.*

A Hinc iam.] Alia Exemplaria *Nunc iam*, nec mirum, quia literæ H. & N. in charactere manuſcripto ſimillimæ ſunt.

B Cuique] editio noua Colonienſis *Cuilibet*.

C Verè locus difficilis, & vt I. Merlonus Horſtius obſeruat mendoſus, vel certè obſcurus. Omnia mea MSS. habent vnum Q. & ſupra illud Q. vnum I.

Primò *Qui*, vt multi putant, legi non poteſt, quia illa poſitio, *Nemo, qui velit cauere hoc maledictum*, falſa eſt; omnes enim pij volumus, & auſpice Dei gratia cauebimus. At non ſolùm poſſe; ſed debere, fortè videbimus ſtatim.

Secundò, Non legam *Quaſi*, cum quia non ſubſiſteret ſenſus, tum quia huiuſmodi literarum compendium in alijs locis non pro *quaſi*, ſed pro *qui* poni ſolet.

Tertiò, Doctis nonnullis à me conſultis viſum fuit illam periodum, *Nemo, qui hoc velit cauere maledictum*, debere legi, *Monachi hoc velint cauere maledictum*, & verè, ſi ita eſt, ſtat ſenſus, & veroſimile eſt, amanuenſem excepiſſe, *Nemo, qui velit*, cùm *Monachi velint*, dictaretur. Error enim videtur ſub ipſum initium irrepſiſſe, nam in omnibus Exemplaribus antiquis reperitur.

Quartò I. Merlono Horſtio placet, *quin* ideò eſt, *qui non*, legi, & ſanè leuiore & meliore reſtitutione. *Conſului*, inquit, in Annotationibus pag. 11. *Manuſcripta, ſed nihil ab impreſſis diuerſum habent, Conſului Doctores, ſed difficulta-*

tem

tem non expediunt. Videbatur mihi constare posse lectio, si pro qui *legeretur* quin; *hoc sensu.* q. d. *Stitis neutrum horum.* Væ illud euitare Propheticum: Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, *cùm tamen nemo sit, quin velit cauere & effugere maledictum, vtrumque quod intentatur tam dicentibus bonum malum, quàm malum bonum; de quo nempe, de velle cauere hoc maledictum, quod est ipsamet voluntas cauendi maledictum, scilicet, quæ includit fugam mali & intentionem boni, vt homo non intendat aut velit malum, sed bonum, illa inquam voluntas est lux totius corporis, ab illa enim desumitur* [argumentum] *æstimatio boni operis.*

Sanè pulchrè & appositè, Sed mea MSS. non habent, *quod sit lux totius corporis*, sed *quod lucis totius corporis.* Ergo nascitur secunda difficultas, An legendum sit *lucis*, an *lux?* quarta, An illud *de quo*, ac neminem, an ad velle, an ad cauere, an verò ad maledictum referatur.

Fortè *lucius totius* est positum pro *lucidus totus.*

Fortè illud, *id est*, quod in MSS. habemus est, *id est*, sed *id &*, aut *idem*, Quid illam periodum legamus sic: *Nemo*, (id est, *nullus homo*) *qui hoc velit cauere maledictum, de quo (homine) Veritas pronunciat, quòd sit lucidus totus. Corporis id & operis argumentum. Sed absit, &c.* Verè meliùs saluabitur Luc. cap. 11. v.36.36. loquendi rigor.

Quid si legamus, *Nemo quin hoc velit cauere maledictum, de quo (cauere maledictum) Veritas pronuntiat, quod sit lux totius corporis, id est, operis argumentum?* Qui legeretur in Dunensibus MSS. Scire desiderans scripsi ad Eruditiss. D. D. Leandrum Bandrium pro tempore ibi agentem: omnia ille curiosè examinauit, & sic mihi respondit.

[Quoad tertium denique inuenio impressos legere, *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, cum tamen nemo, qui hoc velit cauere maledictum, de quo veritas pronuntiat, quod sit* Lux *totius corporis, id est, operis argumentum.* Sed in vno Manuscripto reperi, *quod sit* Lux *totius, &c.* nempè vnum C. cum tilde: vnde mihi videbatur legendum, *quod sit* Lucens *totius corporis, id est, operis argumentum*, at postmodum in alio Manuscripto distinctè, & ad longum descriptum inueni, *quod sit* Lucis *totius corporis, id est, operis argumentum.*]

Viderit curiosus Lector in tanta librorum varietate, quid potiùs illi adrideat, est enim locus difficillimus & indiget docta Medicina.

D Scilicet] Hac particula multa Exemplaria carent.

E Beniuolentia] Aliàs, *Beneuolentia.* Hanc vltimam lectionem amant eloquentes, alteram rudis antiquitatis studiosi.

F Quam Falli] Sic lego in MSS. Editio Coloniensis clariùs, *quàm nec falli.*

G Melius MSS. *definiuimus*, quàm impressa *definimus.*

H Non vult] Vbi sunt duæ negationes, vt *non diligere, nec diligere queunt* semper mea MSS. in priori loco habent *non* in posteriori *nec*: at impressa, vtrobique habent nec.

I Possint] Aliàs, *Possunt.*

K Vt iam ad] Aliàs, *Vt ad.*

L Libri impressi non legunt, *vertitur*, sed *vertis*, hoc est, *vergit*. Editio noua Coloniensis, *In malum vertis, & tantum malum.* Vbi Manuscripta habent *vertitur*, & non habent, *&*.

M Bonæ

M Bonæ voluntatis] Libri impressi non habent illud *bona*.

N In non mala] Habent alia Exemplaria *in mala*, mendosè tamen, quia hic vrget Diuus Bernardus, quòd non solùm est homo reprehensibilis, cùm actionem malum elicit, sed etiam cùm mala intentione non malam.

vv In omnibus locis, in quibus hic Character est positus eandem dictionem materiam exhibent diuersa Exemplaria, non tamen eodem ordine.

An mala meritoriè fiant.

362 B*Onam distinctionem habent vim Commentarij*; dicebat Libertus Honthemius (citatur à Bosquiero In Antonij Sanderi Bibliotheca Belgica Manuscripta pag. 9. finem.) & quidem verè. Apta interpunctio ex scriptoris intelligentis nota est: & verbulum inter lineas notatum, sæpe grauissimarum quæstionum dissolutio. Vtrumq; in hoc capite præstitisse me existimo; nam & dispunctionem curaui, ne hiaret sensus, & interlinearibus verbis dilucidaui sententiam, quæ in contrarios torqueri possunt, & inclinari solent.

363 Ignorantia inuincibilis in rebus practicis ad quas tenemur ex præcepto, moralis ignorantia non est, sed naturalis; vnde quidquid nascitur ex opinione probabili ex fide est. Errant sanè, qui in hoc D. Bernardi loco, *Fidei* nomine intelligunt supernaturalem: errant, inquam, quia clarissimè ostenditur contrarium. Discurro sic; Fidei veræ opponit Bernardus fidem falsam, atqui nomine fidei falsæ non intelligit Bernardus errorem in fide Catholica, ergò, nec fidem Catholicam nomine fidei veræ. Minorē probo. Fidem falsam docet reperiri quotiescunq; malum putamus; nimirum quoties talem contractum, qui verè illicitus sit, licitum esse; at tunc non erramus in fide Catholica: ergo Bernardus *Fidei falsæ* nomine non intelligit errorem in Catholica. Quia tota illa disputatio non agit de Articulis tenendis & credendis, sed de rebus faciendis; ergò cùm fidem bonam Regulam morum edisseruit, hoc nomine prudētis rationis dictamen sinceram credentiam, æstimationemq; verè probabilem Doctor Mellifluus intellexit; nam alias nemo esset, qui posset dicere, se nunquam deseruisse fidem Catholicam.

Accidit, quod alijs locis S. Doctor nomine *Fidei* intelligat iudicium prudens & opinionem probabilem, ait Capite 9. *sanctas illas obseruantias Prælatorum prudentia & fidei creditas, non subditas voluntati*: Et in libro Prologo. *Fidei pro nde vestra, non meo fidens ingenio abyssum ingredior quæstionum*. Vbi liquet nomine fidei credentiam, opinionem, & iudicium intelligi non verò fidem supernaturalem; certum enim erat, quòd Religiosi Carnotenses bona fide, hoc est, fide orta ex pruden ti dictamine consulebant Bernardum; non verò naturali orta ex reuelatione diuina: sic etiam eosdem Carnotenses intellexisse locum Apostoli ex ipsamet dubij propositione colligitur; *Quæritis*, ait Bernardus: *Vtrum nam ista de Idolothytis Pauli sententia..... Si comederit damnatus est, quia non est ex fide; in generalem Regulam trahi possit quatenus malum cuiq; sit bonum quodcumq; agit, si malum esse crediderit*, (id est, putauerit, &c. Nota illud *crediderit*, non potest esse actus fidei supernaturalis, præcipuè si illi nequeat subesse falsum, sed actus opinionis naturalis.

363 Iam ergo veniamus ad Apostolum, siquidem de Bernardi mente nulla esse potest dubitatio, illum Mellifluus Pater citat, vt suam opinionem confirmet, ergo Paulus nomine *Fidei* non intellexit ibi supernaturalem infusam, aut meus Author illum non intellexit; sed

cùm

tùm hoc secundum dici non possit, illud prius defendendum est.

364 Cæterùm ne videamur affectibus potiùs quam rationibus regi, locum ipsum Apostoli expendamus, & vtriusque Doctoris consonantiam, aut veriùs vnsonantiam percipiemus. Agit de cibis Doctor Gentium citato Epistolæ ad Romanos capite. Non de fidei Articulis, nec reuelatis assertionibus: quod vt clariùs appareat, periodos nonnullas percurramus.

Versu primo huius decimiquarti Capitis sic inquit Paulus: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet*. Hinc de fide Orthodoxa & supernaturali Paulus? minimè, quia hæc verba videntur æquipollere sequentibus, *ægrotorum excusationem bona fide assumite; ne disceptetis de illa, aut sinistrè cogitetis: alius enim credit & existimat se omnia sine valetudinis iactura posse manducare; & alius minimè; hic autem si ægrotus sit, olus manducet*. Et progreditur agens de ciborum delectu & temerariis iudicijs, quæ omnia non contrariantur fidei Orthodoxæ & supernaturali.

Versu 14. ait. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est*.

Ecce, vbi versu 2. dixerat *credit*, hic *existimat* dixit, quia idem erat *credere* cibos esse proficuos aut non proficuos, licitos aut illicitos, quam *existimare*; neutrum enim erat Articulus fidei supernaturalis.

Addit vers. 20. omnia quidē secundum se esse munda, sed & hoc multos non scire, adeò nec credere: vnde infert posse doctiores Catholicos alios indoctiores scandalizare commendando coram eis quæ ipsi iudicant vetita, *est enim malum homini, qui offendiculum manducat*. Et progreditur versu sequenti: *Bonum est non manducare carnem, aut non bibere vinum, neque* (id) *in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut informatur* (hoc est, cibos quos ipse credit esse illicitos.) *Tu fidem habes?* (Id est, Tu credis nullum esse ciborum delectum?) *penes temetipsum habe* (istam fidem, istam opinionem, hanc credentiam) *coram Deo*. Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. *Qui autem discernit* (credit & existimat dari cibos illicitos,) *si manducauerit* (illos) *damnatus est; quia non ex fide* (id est, quia non processit bona fide.) Quibus positis subiungit generalem Regulam, nimirum, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Interpretaris, *Omne quod non fit ex fide supernaturali, peccatum est*. Quod nec verum, nec ad rem: nihil enim probaret Paulus, si illam positionem aliàs falsam assumeret; at si sumeret illam iuxta expositionem Bernardi, assumeret positionem verissimam, quæ caput illud aptissimè clauderet: ergo debemus dicere illam assertionem, *Omne, quod non est ex fide peccatum est*, æquiualere huic, *Omne, quod non fit bona fide peccatum est*. Fit autem bona fide, quod ex opinione probabili. Vnde meritò apud Iurisperitos *Possessor bonæ fidei* dicitur, qui habet titulum possidendi probabilem.

367 Ex mala intelligentia huius loci errarunt aliqui asserentes; *Omnia opera infidelium esse peccata & virtutes Philosophorum vitia*, hanc enim consequentiam inferebant ex verbis illis Pauli, nimirum, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Consequentiam illam iam ab annis aliquibus Pius V. & Gregor. XIII. in bulla speciali condemnarunt. Sed & ipsa condemnatio demonstrabit tenendam omninò esse interpretationem Bernardi. Arguo sic:

368 Hic syllogismus, *Omne, quod non est ex fide supernaturali peccatum est; atqui omne fidelium opus & omnis Philosophorum virtus est aliquid, quod non est fide supernaturali; ergo opus*

infidelium, & omnis Philosophorum virtus peccatum est, debet examinari. Consequentia illegitima dici non potest; est enim in primo modo primæ figuræ Aristotelicæ, qui est *Barbara*. Atqui consequens est à Pontificibus damnatum vt vidimus; ergo est falsum: ergo hanc falsitatem recepit ex præmissis; ex vero enim demonstrante Aristotele, & Bernardo huius libri Capite 36. notante, falsam legitimè sequi non potest. Videamus igitur, An sit in minori aliqua falsitas, Ipsa erat, *Omne infidelium opus omnis Philosophorum virtus est aliquid, quod non ex fide supernaturali*; & vera erat, neutri enim habent supernaturalem & infusam fidem. Ergo ad maiorem deueniendum est, quæ falsa necessariò pronuncianda; hic enim discursus est euidens,[Boni & legitimi syllogismi consequēs est falsum,& miror vera:ergo maior est falsa.] Ipsa erat; *Omne, quod non est ex fide supernaturali peccatum est*. Quæ siquidem falsa est, Pauli non est. Paulus igitur malè à Michaele Bayo, exponitur, de fide supernaturali, cùm deberet de bona fide, hoc est, de iudicio prudenti & opinione. Ergo proderit eundem syllogismum exscribere, maiore ad mentem D. Pauli & Bernardi præmissa. *Omne, quod non fit bona fide & iudicio prudenti, peccatum est; Atqui omne infidelium opus, & omnis Philosophorum virtus est aliquid, quod non est factum bona fide & iudicio prudenti: ergo omne infidelium opus, & omnis Philosophorum virtus peccatum est*. Consequentia iterum est legitima aut antea, & consequens iterum falsum: sed quia maior est vera, minorem necessario falsam asseram, & meritò; nam multa reperio ab Ethnicis laudabiliter facta, quæ peccata non fuerunt. Obstetrices Ægyptias timuisse Deum legimus Exod. 1. 17. & hunc timorem bonum & laudabilem fuisse constat ex vers. 20. vbi dicitur, *Benefaciebat Deus obstetricibus*; Achior etiam laudatur Iud. 6. & Sacra Scriptura neminem de peccatis laudat.

369 His ergo præmissis totam capitis doctrinam paucis complectamur. Bonum opus est triplex materiale, formale, & totale. Actio materialiter bona illa est, quæ verè est bona, sed mala creditur & elicitur cum intentione peccandi: formaliter autem bona illa, quæ verè entitatiuè mala est, bona autem sincerè creditur, & bona fide elicitur: at adæquatè bona, quæ simul materialiter & formaliter bona est, nimirum, quæ entitatiuè est bona, & talis esse cognoscitur, & quia bona elicitur. Non aliter malum trifariam potest diuidi. Actio materialiter est eadem quæ formaliter bona; & contrà: & actio totaliter mala, quę entitatiuè mala est, & creditur bona fide mala, aut ex vincibili & crassa ignorãtia bona creditur. Actiones formaliter bonæ, si fiant in gratia, meritoriæ sunt; & formaliter malæ, demeritoriæ, etiamsi fiant extra gratiam: actionum enim materialis bonitas, aut malitia imputabilis nobis non est, qui sumus homines, & ideò rarò euidenter, frequentiùs probabiliter diiudicamus. Videatur huius libri Cap. 25. in quo docet Sanctissimus Magister Mellifluus *nostra non referre* (verba ipsius sunt) *si erremus & conscij non simus erroris*.

Difficultates appendices.

PRæter principalem quęstionem aliàs obiter resoluit S. Doctor, quæ poterunt aliquando prodesse.

370 Dubitatur *primò*; An bonum sit ex integra causa, malum ex quocumque defectu? An etiam dentur bona & mala partialia? Respondet Author noster assertiuè. *Dicitur Nequam, ait, quasi Nequaquam, vt is solummodo Nequam appelletur, qui Nequaquam, hoc est, in nullo penitus appareat bonus, sed sit vtroq; bono vacuus; tam videlicet veri notitia*

quàm

quàm beneuolentia. Et paulò post. *Reliqui duo* [nempe oculi semiboni, aut seminali] *quorum neuter vtrumq; aut bonum habet, aut malum etsi ex parte possit, non tamen toti sufficiunt, vel lucem dare, vel tenebras corpori*.

371 Dubitatur *secundò*; An mala, quæ fiunt ex ignorantia crassa sint peiora, quàm quæ ex clara malitia? Respondetur affirmatiuè, sed sub distinctione; dicitur, illa esse periculosiora, non maligniora. Ita S. Doctor illis verbis. *Hunc oculum* [nempe, vincibiliter ignorantem] *in Superiore diuisione illo altero* (nimirum, ex scientia & malitia peccante) *censui nō immeritò peiorem; non quia malignior sit: sed quia periculosior: ignorantia quippe securiorem, securitas segniorem facit, non peiorem*.

372 Dubitatur *tertiò*, Vtrùm sit digna præmio actio mala, si fiat bona intentione & ignorantia vincibili? Videtur respondere Bernardus in hoc capite, *Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam; nec planè condigna remuneratione fraudabitur*. Sed hæc verba indigent Commentario. Cùm mala bona intentione fiunt, ipsamet intentio bona est, ignorantia autem mala. Et putamus nullum hodie in inferno torqueri, qui possit dicere se aliquid boni fecisse, & caruisse temporanea aliqua remuneratione.

Vtrùm tanta sit in genere boni obedientia, quanta in genere mali inobedientia?

CAPVT XXXIX.

373 Q*Værentibus item de obedientiæ pondere seu discrimine inobedientiæ*; A *incidit à latere vobis vv & de merito vtriusque* B *quærendum, vtrùm videlicet in quibusq; præceptis quantum obedientia valet, tantum grauet inobedientia? vt verbi gratia: vel* (Genes. 22. a.) *Abrahā de immolando I c, vel illi nescio quis de filio itidem furni incendijs exponendo; tantum diuinæ indignationis & vltionis meritò incurrissent, si non obedissent, quantum laudis & gloriæ receperunt pro eo, quod obedierint. Quod vobis quidem & durum videtur, & necessarium: sed non est ita. Enimverò constat nonnulla nec fieri sine gloria, & posse non fieri sine culpa: ideoque si fiant, digna essent præmijs, non tamen supplicijs si non fiant. Nam & non tangere mulierem meriti est non mediocris, & nullius tamen delicti propriam amplecti coniugem. Istiusmodi sunt quæcumque Euangelico illi capitulo* (Matth. 19.) *congruere possunt*, qui potest capere capiat. *Et rursum quædam per contrarium neglecta quidem offensam contrahunt, sed impleta gloriam non merentur, & damnant contemptorem, & auctorem non glorificant. Talia sunt quæcumque diuinitus lege publica imponuntur hominibus, sine, quibus nec saluari queunt. Hinc illud apud Gentilem,* (*nimirum*, Horat. 1. Epist. 16.

Non feci furtum; non pasces in cruce coruos.

Et in Euangelio (Luc. 6. d.) *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Et* (Matth. 5. g.) *si salutaueritis fratres vestros tantum*,

quid amplius D *facietis? deniq; & vniuersaliter* (Lucæ 17. c.) Cum feceritis, inquit, E omnia quæ mandata fuerint vobis, dicite, quia serui inutiles sumus, quæ facere F debuimus, fecimus. *Ac si dicat: Si solis contenti estis præceptis, & traditionibus impositæ legis, & non spontè etiam perfectionis* G *vos consilijs & suasionibus mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito gloriosi. Euasistis pœnam, sed non acquisiuistis coronam. Quænam* H *ergo necessitas cogit parere nos in singulis quæ iniuncta fuerint, & formidare vltionem de transgressione, & de obseruatione sperare remunerationem? Ea propter in talibus generalis hæc regula teneatur: vt in difficilioribus quidem agendis obeditio gratior quàm grauior præuaricatio iudicetur, & in facilioribus, minusq; onerosis contemptus damnabilior quàm actus laudabilior æstimetur.*

A Incidit] Probant hanc lectionem omnia MSS. tametsi libri impressi habeant, *à latere incidit vobis* pro *incidit à latere vobis.*

B Quærendum] Antiqua MSS. non habent illud *quærendum*. Et recentiora non benè interpungunt.

C Gloria] Variant Codices, in alijs *gloriæ*, in alijs *gratia* reperimus; sed vtraq; vox sufficiens, vt mens D. Bernardi exponatur.

D Facietis] Alia Exemplaria *Facitis.*

E Inquit] Multi libri carent illo *inquit.*

F Quæ debuimus] Aliàs, *quæ debueramus.*

G Etiam perfectionis] Habent verò antiqua *& perfectionis.*

H Hanc periodum antiqui Codices corruptam exhibent, & recentiores restitutam correctamve. In MSS. Lego *Quænam igitur necessitas cogit parere nos in singulis.*

An matrimonialis copula sit obnoxia peccato.

374 PRincipalis quæstio optimè resolu tur à D. Bernardo, sed occurrunt nonnullæ interlineares.

Prima. *An vsus matrimonij sit licitus? An sine peccati venialis scrupulo quis accedere ad suam vxorem possit?* Sunt, qui negatiuam affingant Augustino, tantæ authoritatis viro, vt sine ipso, nec concilia definiant, nec hæretici ipsi stultescant. Bene enim expositus subministrauit illis suarum definitionum materiam: & expositus male laruam istis ad tegendos errores. Sed meus Author definit pro parte affirmatiua. *Non tangere mulierem*, ait, *meriti est non mediocris, & nullius tamen delicti propriam amplecti coniugem.* Si nullius: ergo, nec venialis, nam in præcedente capite ait Bernardus, *Quod absq; vel minimo peccato non est, purum bonum minimè est.*

375 Secunda ex verbis Euangelicis nascitur; nimirum, *Cum feceritis omnia, quæ mandata sunt vobis, dicite; Quia serui inutiles sumus, quæ facere debueramus fecimus.* Ita Luc. 17. Sed inquiris, *An ad meritum & coronam non sufficiat satisfacere præceptis, sed etiam satisfacere concilijs requiratur?* Videtur resoluere pro affirmatiua noster Author, sed debet bene intelligi; nam, nisi accidentia & consequentia componantur, præbebit errandi occasionem; Dederat enim Euangelistæ textum, & hac illum periphrasi dilucidat,

Si so-

Si solis contenti estis praeceptis & traditionibus impositæ legis, & non sponte etiam perfectionis vos consiliys & suasionibus mancipatis; liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito gloriosi; euasistis pœnam, sed non adquisistis coronam. Sed vt Bernardum benè intelligas adnotato illum agere de præceptis negatiuis, vt constat ex exemplo, quod ponit; videlicet.

Non feci furtum; non pasces in cruce coruos.

376 Nam non furari secundum se indifferens est, nec bonum, nec malum; quia pura omissio est, & quæ in Schola Melliflua non est libera; ad coronam & meritum proculdubio aliquid amplius, quàm pura omissio requiritur, *Si solo contenti estis præcepto & traditione legis inhibentis (qualis est,* Non furaberis,) *cui pura actus omissio tametsi non libera, nec spontanea satisfacit saltem negatiuè; & non potius sponte etiam & liberè vos consilio de furio positiua voluntate reprobando, mancipatis; liberi quidem eritis à debito, non tamen habebitis meritum, &c.*

An & ex quibus causis professionis locus mutari queat?

CAPVT XL.

377 *Iam, si & de hoc* vv *satis est, videamus quatenus etiam tenenda sit ipsa, quæ in professione firmari solet loci stabilitas, & quibus tamen ex causis rumpere illam, vel liceat cuiquam, vel expediat. Et hinc siquidem dubitare vos dicitis. Ad quod interim nunc securus responderim, à bono, quod semel quis vouerit, descendere non licere, & ad hoc mutare locum quem sibi quisque delegerit, & cui se sua voluntate & voce firmauerit, omninò non consulo. Sed nec Sanctus Papa Gregorius; Ait enim.* Perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora vnquam, vel in opere, vel in cogitatione dilabantur. *Sed quod hinc sensit vir Apostolicus, hoc se implere gloriatur.* (Phil. 3. e.) Quæ, *inquiens*, retrò oblitus; & ad ea, quæ ante sunt, extentus. *An & Propheta Ezechiel* (Cap. 1. d.) *idem non significauit, cum de Sanctis Animalibus diceret:* Non reuertebantur cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur? *Et hi omnes id sentiendo non aliud quam Magistri sui sententiam secuti sunt in Euangelio* vv *dicentis* (Luc. 9. g.) Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Præscribat proinde stabilitatis pactum omni deinceps remisso decensui, contentioso discessui, vago & curioso discursui, totius denique inconstantiæ leuitati; non tamen his, quæ in professionis serie sequuntur; morum videlicet conuersioni & obedientiæ, quæ secundum regulam* A *fit. Nam* B *si hæ ibidem pro improbitate nimirum, atque irreligiositate cohabitantium obtineri fortè nequiuerint, duce spiritu libertatis transire indubitanter, suadeo ad locum alium, vbi*

non

non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Equidem cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Sanè de religiosis ac benè ordinatis Monasterijs nullus professorum meo consilio ne arctioris quidem vitæ desiderio sine licentia sui Senioris (Superioris) *egredietur.*

Ecce dilucidata est communis illa difficultas, quæ inquirit, an liceat transire ad strictiorem religionem? an ad aliud Monasterium eiusdem religionis, si sit in eo senerior disciplina sit? supposita doctrina huius capitis in Commentarij disputatione 45. controuerto, Vtrùm Religiosus professus ad alium ordinem transire possit? & disputatione 46. Vtrùm saltem ad Monasterium eiusdem Religionis? Multa ibi vtilia, quæ huius capitis literam illustrant, multa quæ litera, huiusce capitis illustrantur: sed quia ibi legi poterunt, non erit necessarium exscribere. Sed varias lectiones adiungamus.

A Sit) Sunt literæ similes s. & f. & ideò facili negotio commutantur. *Fit* impressi, *sit* verò exhibent libri manuscripti.

B Hæ) refertur ad conuersionem & obedientiam; alij legunt *hac*, sed minus aptè.

v v Ordo varius verborum.

Nota. Posse locum professionis regulariter mutari ostendo in meo Commentario à num. 532. & obiter suppono cum vniuersis Doctoribus minorem causam sufficere, vt quis transeat ad aliud sui ordinis Monasterium, quam vt transeat ad alium ordinem; sed hac animaduersione præmissa debere de vtroque transitu pariformiter Philosophari.

An qui ex leuitate ad ignotum Monasterium transierit, teneatur ad primum reuerti.

CAPVT XLI.

379. *Egressus tamen, si melius inuenerit, & elegerit, meo nihilominus iam consilio non* A *regrediatur ad inferius bonum, quod reliquerat & contempserat* B *præ meliori, præsertim si illud melius tale fuerit, quod eius* C *proximæ professioni congruere videatur. Ipse nempe viderit qua ratione, quave intentione alteriora seu arctiora præsumpserit. Nam ad inferiora iam* D *vel remissiora me consulente nequaquam apostatabit, si non tamen loci prioris vicinia reuocetur, quia de noto Monasterio nec retineri, quis regulariter potest, nec recipi sine consensu Abbatis sui. Et accipite manifestius in Exemplis huius sententiæ rationem. Fortè vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo: si non sanè id Abbatis sui vsurparit assensu.*

Quam-

Quamobrem? Primò, *propter scandalum ipsorum quos deserit.*

Deinde, *quia certa pro dubijs relinquere tutum non est, forsan enim* B *hoc tenere potest, illud non poterit.*

Tertiò, *suspectam habeo leuitatem, quia id sæpè quod facilè volumus, antequam probemus, experti iam nolumus, vno propè momento idipsum & cupientes & respuentes, tam leuiter, quam irrationabiliter, quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vna vix hora in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi vagi & instabiles hac & illac velut ebrij nutant, mutantque pro experimento iudicium; imò sine iudicio fluctuantes, & tumultuantes tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt; semper quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes. Et quomodo ego, ait aliquis, professus Regulam, non secundum Regulam cum bona queam degere conscientia? siquidem vouens & non soluens, quid nisi periero? Quasi non multo magis habeas, vnde* D *conqueri* H *alibi quoque cum ceperis purè iuxta Regulam conuersari. Profectò etiam tunc. Et quanam inquies conscientia habitare sustineam extra domum meam priorem, quæ me de sæculo fugientem excepit, initiauit ad bonum, signauit in salutem, molestus fratribus, inobediens Seniori, stabilitatis insuper præuaricans pactum, & primam irritam faciens fidem? Verumtamen neutra iusta quærimonia est; Nam, qui se ideò periurum putat, quod ad purum Regulam non obseruat, videtur mihi non satis attendere quid iurauerit. Nemo quippe cum profitetur spondet Regulam, sed determinatè secundum Regulam sui quisque conuersionem, suamque deinceps conuersationem* VV *sese dirigere pollicetur. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè Monachis communis professio est. Et licet in diuersis Monasterijs diuersis & obseruantijs Deo seruiatur, quamdiu tamen sui quisque loci bonos vsus* I *sollicitè seruat, haud dubium quin secundum regulam viuat: quoniam quidem boni vsus à regula non discordant. Quisquis itaque tenet, quod teneri inuenerit bonum, vbi profitetur, profectò viuit sicut promittit: quia non aliud procuidubio quisquis* K *promittit, quam quod habere pia illorum* L *vita videtur, cùm quibus deinceps viuere disponit & eligit. Quid enim? Numquid verbi gratia, aut in maiori Monasterio vsus Cluniacensium, aut isti fortè illorum ritus, aut verò* M *vtrique Cisterciensium districtionem literatoriam profitentur? Attamen omnes secundum regulam profitemur: vna quidem oris vbique promissio,* N *sed quia* VV *non omnibus vna est cordis intentio, potest indubitanter sine detrimento salutis, & sine damno professionis, operis quoque non vna* N *vtique obseruatio celebrari.* O *Sicut enim non omnes omnia tenent, etiam boni Christiani, qui in Euangelio sunt: omnes tamen secundum Euangelium viuunt; nam qui concessis alligari coniugijs contenti sunt, non ideo tamen credunt se recessisse ab Euangelio: quia Euangelici sublimitatem consilij de cælibe ducenda vita non elegerunt. Ita sanè si in gradu illo inferiori legitimè ac fideliter conuersentur; sic quoque qui secundum regulam viuere statuunt, & si non ad vnguem, vt dicitur, totam* P *custodiunt, & siqua pro sui claustri ritu, vel mutant, vel prætermittunt, à regulari tamen omninò professione non discedunt, donec tandem* Q *sobriè & iustè, & piè pro suorum moribus viuere non desistunt. Denique regula ipsa tradit* (cap. 7.)

octa-

octauum humilitatis gradum, vt nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. Exceptis proinde Cisterciensibus & qui illorum fortè ritu, R *non tam viuere secundum regulam, quàm ipsam ex integro purè ad literam (vti se sanè professos esse putant) tenere, curant; Cætero neminem* S *obedienter degentem regularis moueat solennisque professio, in qua non fit de tota regula promissio, in his duntaxat Monasterijs, in quibus ordo & disciplina seruatur cum bonis consuetudinibus. Salua igitur* VV *sua cuique manet in cœnobijs benè ordinatis professio; tantum si sana fuerit & intentio. Caterùm, qui inquietus est, & ita credere non potest, sed magis credens & cedens stimulanti conscientiæ, exit quærit, vbi* T *soluat, quod suo in loco* VV *suo vtique indicio vouerat quidem, sed non soluerat; sicut non laudo, quòd egreditur, ita vt regrediatur non consulo: si tamen ad ignotum* VV *remotumque Monasterium migrauerit. Cur ita? tum propter Pauli sententiam,* V *qua beatum manifestè pronunciat, qui se ipsum non indicat in eo, quod probat, tum ex nostri authoritate Magistri, qui talem & suscipi iubet & retineri: inuentum quoque bonum & vtilem suasione alliet, professione ligari. Denique,* suadeatur ei, *inquit,* (cap. 61.) ut stet. *Et ne fortè prioris sui monasterij memor, remordente vt assolet conscientia, incipiat denuo de rupta stabilitate causari, generalem super huiusmodi scrupulo consolatoriam profert sententiam, dicens:* Vbique enim uni Deo seruitur, uni regi militatur. *Porrò de vicino probibet, quod iubet de peregrino, ne vicinitas inter monasteria fomes scandali, rixæ materia sit, si alterutrum recipere Monachos acquieuerint, absque mutuo dumtaxat adsensu. Quod* X *toties equidem experimur,* X *quoties talis vspiam Monachorum susceptio, planè non nisi contra decretum regulare præsumitur. Quod si etiam post hæc fratris ita regulariter suscepti inquietiorem fortè animum pulsauerit recordatio scandali, quod discedens fratribus fecit* VV *quos deseruit, & quia* Y *oporteat emendari suo reditu, quod ex discessu deliquerit, prudenter aduertat, qui hoc cogitat, scandalum scandalo non benè emendari. Qualis denique emendatio erit, si vt alijs scandalum tollas alios scandalizas? Quamquam profectò & tolerabilius scandalum illud sit & venialius, quod factum est intentione* Z *proficiendi in melius, quàm quod facere cogitas ad deterius apostatando. Sed &* A *ante quoque licet non sine scandalo tutius tuam sine dubio, ad id quod putasti melius secutus es conscientiam, quàm si in priori bono & loco contra conscientiam* B *permaneres, quamquam securè id posses, si sanè hinc eandem* D *tui ipsius conscientiam reddere securam posses. Quapropter quod de manducante & non manducante decernit Apostolus,* (Rom. 14. b.) *vsurpemus & nos in nostræ huius disputatiunculæ conclusione, vt & qui propria impellente conscientia suum deserit locum, ne suum quod putat deserat votum; non deserentem non spernat, & qui secura conscientia fraternum scandalum timens fratres non deserit, deserentem non iudicet. Et de his me accipite sanè quod sentio respondisse, sine præiudicio saniùs sententis.*

A Regre-

A Regrediatur) Se multa MSS. habent *regreditur*.

B Præ) Aliàs *Pro*.

C Proximæ) Editio noua Coloniensis habet *prima*; sed Manuscripta *proxima*. Videtur legendum esse *proxima*; quia si quis professus primò rigorem, vt quatuor, & posteà deuotionis feruore rigorem, vt sex, & si tertiò rigorem, vt octo, Mellifui Doctoris consilio non regrediatur ad inferius bonum (nempe, perfectionem, vt sex) quod reliquerat & contempserat præ meliori, præsertim si illud melius tale fuerit, quod non primæ professioni (nimirum qua vouerat Deo vitam seueram, vt quatuor) sed proximæ (qua vouerat seueram, vt octo) congruere videatur.

D Iam) Hac particula carent multi impressi.

E Hoc) correfertur ad illud; male igitur contra Manuscriptos impressi libri habent *hac*.

F Quam irrat.) Alia Exemplaria, *quam & irrationab. &c.*

G Vnde) Ita MSS. & mendosè impressa habent. *Inde*.

H Alibi) Ita habet editio noua Coloniensis, ex qua corrigo veteres libros Manuscriptos habentes, *Aliqui*.

I Impressi libri non habent, *solicitè*.

K Quisquis) Alij habent, *quisq.*

L Lego in MSS. *Quod habere pia illorum vita videtur* in impressi, *quod habere eorum pia videtur vita*.

M Editiones impressæ habent *vtriq.*, & vt puro benè. At *viiq.*

N Hic etiam videntur mendosa nostra MSS. quia habent *verbiq.*, pro *vbiq.*, & hoc in duobus aut pluribus locis.

O Sicut) Etiam hic MSS. exorbitant, habent enim *sic*.

P Manusc. *custodiant*, alij libri *custodiunt*.

Q Hic Amanuensis, qui nostros codices ante multas annorum centurias exarauit, euigilare videtur. Prælegi in penultimis notis impressorum Exemplarium lectionem, sed hic iterum opus fuit credere Manuscriptis; *donec tandem* habent, & benè, non verò *donec tamen*.

R Hæc periodus est valdè necessaria, quia sæpe obijcitur contra nos, qui asserimus Mellifui Doctoris sententia Cisterciensis, sicut & reliquos DD. Benedictinos, non esse professos Regulam, sed conuersionem morum secundum regulam. Habent impressa Exemplaria. *Exceptis proinde Cisterciensibus, & qui illorum forte ritu, non tam viuere secundum regulam, quàm ipsam ex integro purè ad literam (vti sanè professos esse putant) tenere curant, de cætero neminem, &c.* Habent Dunensia Manuscripta. *Exceptis proinde Cisterciensibus, & qui illorum fortè ritum, non tamen viuere secundum regulam, quam ipsam ex integro purè ad literam, &c.* Fortè aliquando proderit hæc lectionum varietas.

S Obedienter) Aliàs, *obedientem*.

T Libri scripti habent, *vbi soluat*, impressi, *vbi vota soluat*.

V Qua) Malunt alij legere, *Qua*.

VV Frequenter occurrit hic character, & in omnibus locis ordo dictionum alteratur.

X Toties quoties) *Totiens, Quotiens*.

Y Manuscripta non habent illud, *& quia*, exhibent *enim dari* pro *emendari*.

Z Proficiendi) Corrige ergo aliquot MSS. quæ habent *perficiendi*.

A Sed & ante) Multi libri impressi carent illo *&*.

B Contra conſcientiam) Noua Colonienſis editio habet *contra concupiſcentiam*; Sed non ſuſtineo; ſi enim remiſſa conſeruatio eſt ſecundum concupiſcentiam, ſeuera contra, qui poſſit quiſpiam manere in vita remiſſa & relaxata, & tamen agere contra concupiſcentiam non intelligo; niſi fortè abutaris vocabulo, & *concupiſcentiæ* nomine ſpirituale deſiderium intelligas.

D Tui ipſius) In alijs. *Tuam ipſius*.

Nota. Ex doctrina huius capitis naſcuntur Reſolutiones & dubia circa ſtabilitatem.

Primò, An religioſus Benedictinus poſſit egredi cum licentia? & qui poſſint dare licentiam transeundi ad aliud Monaſterium; qui tranſeundi ad aliam religionem?

Secundò, An poſſit ex Monaſterio relaxato egredi ſine licentia? & quid intelligendum veniat *relaxati Monaſterij* nomine?

Tertiò, An ex benè ordinato?

Quartò, An tranſire poſſit ad Monaſterium propinquum, an ſolum ad remotum?

Quintò, An ſit in ſecundo Monaſterio probandus? An debeat ſecundò profiteri?

Sextò, An qui ex leuitate ad remotum Monaſterium confugerit, & ibi ſtabilitatem promiſerit, teneatur ad primum reuerti?

His omnibus & alijs multis incidentibus quæſtionibus reſpondet noſter Author hoc capite verbis tam claris, vt nequeant in probabilem controuerſiam deduci. Omnes examino & reſoluo libro noſtri Commentarij ſeptimò, diſputatione 45. & quia ibi concluſiones ipſas verbis Melliflui Doctoris efformo, non iuuat aliquid adiungere, nec prodeſt reſoluta repetere.

Diſſoluitur Quæſtio ſuborta ex actis SS. Gregorij & Auguſtini.

CAPVT XLII.

382 I*Tem poſtulatis abſolui vobis, Cur vel Beatus Gregorius* (Lib. 1. Epiſt. 33. & lib. 9. Epiſt. 25. & 31.) *neſcio quem venantium habitum* A *Monachalem quem piè ſuſceperat, impieq́; reiecerat, non ſolum reſumere non coegit; ſed etiam legitur* VV *omnem indulſiſſe communionem apoſtatæ præduranti. Vel ſanctus Auguſtinus*, (de bono uiduitatis cap. 9. & 12.) *coniugij legi votum quodammodò ſubjceat continentiæ: ita vt in libro de virginitate aſſerere videatur, nec cœlibis quidem vitæ propoſitum copulæ poſſe præſcribere coniugali quominùs indiſſolubile maneat, etiam quod à continentibus fallente Diabolo fracto ſanctitatis voto initum fuerit matrimonium. Et ad hæc nil ad præſens certius breuiuſque reſpondendum occurrit, niſi quòd ita ſancti Antiſtites ſapuerunt: rectène, ipſi viderint. Nam ego in ſenſibus; actibuſq́; illuſtrium Patrum cautus profectò ſum non omninò* VV *aliud æſtimare, quàm quod Beato teſte* VV *Apoſtolo* (1. Corinth. 4. a.) quæritur

tur iam inter dispensatores, ut uidelicet fidelis quis inueniatur. *Certus sum enim, siue in suo abundauerint sensu, siue in Dei Spiritu sicut in* c *cæteris, ita in his ambos exstitisse fideles. Illum in dispensando, quod præ manibus erat istum in scribendo, quod senserat.*

A Monachalem] Reperio in aliquibus MSS. *Monachilem*, an bene, Critici examinent, quia nec sensum hæc varietas alterat, nec mores respicit.
B Sapuerunt] Multa etiam MSS. *sapuerunt*.
C Sicut in] In alijs libris lego, *sicut & in*.
vv Varius earundem dictionum ordo.

Nota, controuersiam, quæ examinat, præstetne cœlibatus matrimonio esse antiquissimam, eiusque fautores iam ab annis multis corrasisse Patrum periodos, quas illi aliò respicientes scripserant; sanè multa de hac re impræsentiarum contra nostros hæreticos ediderunt doctissimi, quamobrem non erit opus rem facilem vberiùs tractare.

Leges nociuas fore inualidas; impœnitentes nonnunquam tolerandos esse.

383 NEmini in destructionē, sed in ædificationem data authoritas: prodest nonnunquam tolerare peccata, quando maiora inconuenientia prudenter timentur: fortè hodie proximus corripi non potest, cras poterit. Cur non aliquando superior blandè aget cum peccatore subdito, si existimet, illam passionem posse excidere, & illum ad meliorem mentem suauitate duce reuerti. Semper Superior in salutem subditi collimet; illum sapienter amet, & prudenter reprehendat. Antequam correptionis regularis disciplinam adhibeat modum examinet quo vtiliùs & suauiùs id possit; frustra enim fulminantur rigores, vbi blanda verba sufficiunt; frustra etiam verba blanda insumuntur, vbi tolerantia sufficeret; si subditus sit generosus, cùm potuit habere, pœnam habuit; ipsi enim erit pudori & confusioni potuisse habere pœnitentiam: si sit durus, dura etiam suauitate regatur, & ad virtutem inclinetur. Deum Superior & conscientiam suam consulat, & omni affectu terreno seposito sincerè & audacter procedat; sciatq; nullius esse tantam duritiem, quæ si flecti non velit, rigoribus frangi non possit. Laudandus est igitur D. Gregorius, qui Venantium, quem conuertere non poterat, perdere noluit spe maioris boni. Vitra enim, quæ hodie purgari nequeunt, non debent frangi, sed paulatim humectari, vt duritie sordium euicta in crastino purgari possint.

De matrimonio à continentibus contracto.

384 SEcunda quæstio, quæ desumitur ex Augustino, minorem habet difficultatem; non enim est idem asseri, ac videri. Fortè, qui Carnotensibus illud videbatur asserere, contrarium asserere videretur omninò doctius literam examinantibus, maximè cum eorundem quæstionibus didicerimus illos magis fuisse sanctos, quàm doctos. Sanè verba D. Augustini non sunt tam cruda, quam citatio. Accedit, quod

Augustini tempore nondum declarauerat Ecclesia inhabiles ad contrahendum matrimonium personas Religiosas; adeoq; illud ab ipsis validè tametsi illicitè potuisse contrahi.

Soluitur alia Quæstio ex Actibus S. Gregorij desumpta.

CAPVT XLIII.

385 *QVod deniq; quæritis de quibusdam Episcopis, quos Sanctus item Papa Gregorius ad tempus in monasterijs pro eorum excessibus legitur reclusisse; Vtrumnam in suo, an in monastico interim habitu habitarint cum Monachis ego nescio, nisi quod credibilius videtur nequaquam illos insignem Religionis habitum suscepisse, quem non erant perpetuò habituri. Sed tantum quæsisse quietem in secretis monasteriorum, & opportunitatem pœnitentiæ.*

386 Malachias Episcopus Connerethensis, deinde Archiepiscopus Primus totius Hiberniæ, demum Episcopus Dunensis & Legatus Apostolicus Anno 1148. Romam iturus adiuit Claramvallem, & morbo correptus, subsidere coactus fuit. Adlectus pia Religiosorum conuersatione in monasterio illo habitauit vsque ad diem vltimum, quem clausit inter manus Abbatis Mellifiui: primus erat in actibus humilitatis: omnibus summo exemplo imò & admirationi; Cæterum nostrum Benedictinum habitum assumpsisse solus, quem viderim, Chrysostomus Henriq; *in fest. Cistert. lib. 2. dist. 3. cap. 14.* asserit, alij negant: Ergo à fortiori iudicandum est de illis Episcopis, quos non particularis deuotio, sed publicæ authoritatis seueritas in Monasticis claustris reclusit. Vota illos solennia non emisisse certum est; horum enim idem est terminus, qui vitæ. Cur igitur debuissent vti habitu regulari, qui nec religiosi erant, nec Religionis candidati? Imò, qui nec leguntur egisse vitam regularem? Accedit, quod lex legem, & praxis praxi solidè soleat explicari: Atqui hodie viri de criminibus generosis conuicti, recluduntur in Monasterijs, & tamen vota non emittunt: ergo, qui olim ad tempus recludebantur vota non emittebant. Patet, quia nulla est disparitatis ratio. Minorem probo. Quia Astrologi Iudiciarij (scientiæ abusu peccare creduntur) ab Hispana Inquisitione per annum in Monasterio recluduntur; vt constat ex Sousa *Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 48. num. 25.* & Diana *part. 4. tract. 7. de pœnis. de istorum, resol. 17. §. Quibus.*

Profes-

Professionem esse baptismum alterum.

CAPVT XLIV.

387 A*Vdire & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam : vt* secundum Baptisma *nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiusceemodi conuersatio professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit : Imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi. Et quasi denique secundò baptizamur, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius. Sed & quomodò in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum euadimus: reaptantes illud nobis vv Apostoli :* Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

---

388 Præter rationes quas solidè expendit Bernardus, posset altera ex clauibus Ecclesiæ desumi : nam fauore Pontificum solennis votorum emissio eleuata dignoscitur ad sublimes effectus, illis verè simillimos, quos causat Sacramentum Baptismi. Qui profitetur, mundo moritur; sed feliciter naufragus in sanguine Christi per indulgentias applicato. Nulla est Religio, quæ specialis non habeat & vix aliqua quæ priuilegia aliarum non participet; vnde cùm talia priuilegia omnibus sint cognita & peruia, superuacaneum iudico ea recensere.

389 I. Merlonus Horstius in Patrum lectione versatissimus, aliqua collegit testimonia in quibus Patres professionem Monasticam insigniunt Baptismatis nomine. Nam. Petrus Damianus Opusc. 10. in Episcopum Monachos ad sæculum reuocantem, sic inquit; *Dic obsecro, legisti aliquando vitæ Monasticæ propositum secundum esse baptisma? Sed quia hoc inueniri in dictis Patrum perspicuum est, negare licitum iam non est.* Et Hieronymus Epistola 25. Paulam de Blesillæ obitu consolatur, & infit: *Reuera si sæculare desiderium, & quod Deus à suis auertat, delicias huius vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat. Nunc verò cùm propitio Christo ante quatuor ferè menses secundo quodammodo propositi se baptismo lauerit & ita deinceps vixerit, vt calcato Mundo semper Monasterium cogitarit, &c.* Et Author Epistolæ ad Deuetriadem [credebatur olim, aut Augustini, aut Ambrosij, aut etiam Hieronymi; iam re altiùs examinata supponitur Heresiarchæ Pelagij] *Nunc* inquit, *quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inijsti pactum cum aduersario tuo, dicens ei, Renuncio tibi Diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serua fœdus, quod pepegisti.* Teneo baptis-

baptiſmi & profeſſionis analogiam; ſed fœdus illud durè videtur & citra neceſſitatem recenſeri. [Vide Hieronymum Platum lib. 1. de bono ſtatu Religionis Capit. 23. Renatum Choppinum libr. 1. Monaſticon tit. 2. num. 1.] I. Morlonum Horſtium in notis ſub finem operum D. Bernardi Coloniæ editi Anno 1641.

An mortuo Prælato liceat Monacho mutare Monaſterium.

CAPVT XLV.

390. ID quoque vobis inſinuari precamini, an Abbatis mutatio, Monaſterium ſuum mutare volentibus Monachis, in aliquo patrocinetur; hoc eſt, ſi in morte vel depoſitione Prælati plus aliquid libertatis ſubditis relaxatur, quo vtique licentiùs poſſint eo Articulo temporis migrare quò voluerint, altero videlicet VV necdum A conſtituto. Ad quod reſpondeo. Nequaquam. Etenim ſponſio profeſſionis, quando ex more fit in oratorio, de Abbatis vita non ſumit terminum, ſed de præſentia teſtimonium. Profitenti itaque modus ſit ſua vita, non aliena. Attendat denique quid inde B Legislator ipſe non ſolùm ſenſerit, ſed & (Cap. 58.) tradiderit: vt ſi quando, inquit, aliter fecerit, videlicet quam promittit, à Deo ſe ſciat damnandum, quem irridet. Item dicit: Quod nec ſui iam corporis nouitius habiturus ſit poteſtatem. Et item ait, (ſub finem Prologi) in Monaſterio vſque ad mortem.

---

391 A Conſtituto] In alijs lego *ſubſtituto*.

B Multa Exemplaria impreſſa habent, *Denique quid Legislator*, at ego ſequor lectionem MS.

VV Ordo dictionum varius.

Nota. Iſti Capiti innititur doctrina Commentarij num. 571. vbi teneo, *Mortuo Prælato manere Religioſum liberum à determinatione voti obedientiæ non ab ipſa obedientia*. Vbi nomine *mortui* etiam *mortuum moraliter* intelligo; cedentem depoſitum, & quemcumque alium, qui deſinit eſſe Prælatus. Ratio eſt; quia aliud omnino eſt debere obedire Prælato, aliud debere Petro, ſicut aliud eſt eſſe animal, aliud animal rationale: quo poſito aſſertionis veritatem oſtendo. Superſtite D. Bernardo Claræuallenſes Religioſi, non ſolùm tenebantur obedire in genere, ſed tenebantur determinatè illi obedire: eo autem ad ſydera translato, non tenebantur ampliùs illi obedire, & tamen tenebantur voto obedientiæ, determinando ad aliam perſonam legitima denominatione ſucceſſuram.

An ad

An ad mutandum Monasterium causa sufficiens sit rancor, tædium, tristitia?

CAPVT XLVI.

392 S*Aluis igitur exceptionibus quas superior disputatio perstrinxit, de cætero nulla licet* A *occasione Monacho locum, cui professus est citra mortem* VV *suam deserere, suo duntaxat arbitrio. Alioquin præuaricator est, damnationem habens, quia primam fidem irritam facit. Sed vos pergitis amplius sciscitari: & dicitis. Quid si non potest, nisi cum rancore perpetuo animi ibidem remanere* B, *ob minus videlicet regularem, minusve amabilem Abbatis electionem? Subit animo nunc illud de Euangelio* (Matth. 19.) *quod de coniugij lege docenti discipuli Domini responderent:* Si ita est, *inquiunt*, non expedit nubere. *Magnæ reuerà angustiæ; Si tenuerit exosam, nihil onerosius. Si dimiserit inuitam, nihil inchristianius. An non simili necessitate constringitur, qui nec deserere valet locum ne frangat votum, nec manere in loco, ne cum rancore viuat, & vitam perdat? Vt discedat? non licet propter professionem. Vt stet? propter rancorem non expedit. Duo mihi æquè inconuenientia, æquè periculosa proponitis, vt quidquid respondero, vobis minimè prosit. Quæritis nempè quid è duobus Monacho tutius sit; residere in proprio Monasterio sub irregulariter electo cum rancore, an ad quietius viuendum alias migrare. Quod quidem haud secus accipio, quam si requirat* C *quanam morte perire consulam eum, qui seipsum fortè perimere vult, incendio an præcipitio. Reuerà namque & vritur, qui in odium manet, & qui frangit propositum in præceps ruit.*

---

393 A Licet] Ita lego in omnibus ferè Manuscriptis, tametsi impressi libri habeant, *liceat*.

B Remanere] Ita etiam mea habent Manuscripta, à quibus parum abeunt impressa volumina, quæ habent *Manere*.

C Requirat] Legitur in Manuscriptis, *requirar* in impressis; nescio autem, an satis Latinè dicatur. *Ego requiro Petrum, an acciderit hoc*, pro, *Ego requiro à Petro?*

VV Idem omninò sensus, eædem voces, sed ordo illarum varius.

De vita moraliter impossibili.

394 VIta tædiosa & difficilis duplex est; libera & necessaria. Illam appello liberam, quæ nascitur à causa, cui possumus remedium ponere: necessaria, quæ causam habet, quæ non est in nostra potestate. Necessariam subdiuido, in leuem, grauem, & grauissimam. Grauissimæ nomine vitam moraliter impossibilem & simillimam despera-

speratione intelligo: quando taliter cor humanum, vel inuitum, affligitur, vt si daretur optioni locus, mallet mori, quam talem vitam agere. At grauis & leuis nominibus illas, quæ implicitæ grauibus, aut leuibus difficultatibus. Grauissimam iterum subdiuido in dispositionem & habitum. Indispositio est tristitia & afflictio transiens & breui tempore perseuerans; at habitus est semper perseuerans. His positis sit Conclusio:

395 Prima. *Rancor, tadium, tristitia, & quæcumque alia animi afflictio, licet grauissima, modo sit libera, non est sufficiens vt religiosus Monasterium deserat sine consensu Superioris.* Sed quid faciet ille miserculus Monachus destitutus solamine? permittetur ne perire anima, pro qua Dominus Crucifixus est? non. Admoneatur, vt deponat illam tristitiam, & hilari corde obligationibus suis satisfaciat. Quid si illam deponere non possit? Respondeo casum conclusionis mutari; agebamus enim de tristitia libera, quæ liberè possit deponi.

Secunda. *Si tristitia illa sit necessaria, talis quam liberè tollere non possit; non poterit ille Religiosus Monasterium deserere tametsi sit grauis.* Et de his duabus conclusionibus resoluit noster Doctor.

396 Tertia. *Si illa tristitia sit grauissima, hoc est, intolerabilis & moraliter impossibilis: talis quæ videatur morte ipsa miserior, & alias sit necessaria & habitualis, poterit Religiosus solamen quærere etiam eundo ad aliud Monasterium, aut Religionem.* Patet: qui nec ipse se voluit ad extremas illas miserias obligare; nec credenda est Ecclesia, quæ mater est, non nouerca, eam voluisse in tali detinere afflictione, in qua Turca nullus relinqueret; & dato quod id vellet Ecclesia, demonstratur non posse, non enim talem authoritatem illi Christus commisit, qui in Scripturis legitur, omnem ad ædificationem, nullam ad destructionem Vicarijs suis potentiam indulsisse. Potestas enim huiuscemodi, si in miserrimum illum homuntionem fulminaretur, quid aliud posset quàm desperationem operari.

Quæ sit electio regularis? quæ irregularis?

CAPVT XLVII.

397 SEd vos me in hac difficultate consilij facilè expeditis, cùm deinde sequimini, & quatenus accipi hoc ipsum velitis, quod appellatis Irregulare, aperiendo subiungitis. *Præsertim si electionis irregularitas adeò inuoluta* A *sit & intorta, vt licet de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen, aut vix, aut nullatenus conuincatur. Venit nunc quoque in mentem sapientis elogium.* (Prou. 18. a.) Occasionem quærit, qui vult recedere ab Amico. *Quonam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ cassari regulariter non valet aut reprobari? Et quidem legitur.* Quod probari non potest, mihi infectum est.

A O quam

A O quam antiquum in Monasterijs electiones inuolui, & intorqueri. Inuoluuntur, cùm confunduntur personæ, merita, rationes; intorquentur, quando axibus Reipublicæ Monasticæ stridentibus loca mutantur, & ordo dignitatum inuertitur, aut si malis euertitur.

In electionibus sæpe non tam consideratur vocum numerus, quàm qualitas: sed & tunc ipsæ miserrimè inuoluuntur, & perfidè nonnunquam intorquentur. Habeat Petrus pro se Seniorum & Officialium voces, Paulus Iuniorum. Si promouere velis Petrum, illi saniores erunt; illi si Paulum, Petrum promoturus, inquies Seniores Iunioribus, Ministros illis, qui rem domesticam non administrarunt potiores sunt; & propterea potiorum & saniorum digniora esse suffragia & validiora. Promoturus Paulum, Seniorum & Ministrorum voces, inquies, suspicione non carent; rarò, qui adspirat, suffragium confert viro digno, ne suis sibi armis noceat; Seniores docti non sunt, Iuniores studuerunt, Theologiam moralem bene norunt; bene morati sunt, & ad prælaturam non adspirant: & ideò ab omni ambitione alieni iudicandi. Nonne, hoc est, ex omni ligno facere Mercuriũ? nonne hoc voces inuoluere, & suffragia intorquere?

Quid si omnium voces sint æquales (vt esse debent) mentes illorum obnubilas, istorum inuoluis, intorques illorum. Hos promissis, illos minis, cùm videri vis, nec promittere, nec minari, imò nec adspirare, ita torques, vt pro te suffragabuntur, vel digno, vel indigno, modò liceat illis euadere talem torturam.

De Authoritate dubia.

398 HIc occurrit iterum, quod alibi tetigisse me memini; nimirùm: Verùm possit dari Abbas in pacifica suæ authoritatis possessione, de cuius legitima potestate dubitetur? Respõdeo casum esse impossibilem: quod si ostendero, optimè Bernardum propositam quæstionem resoluisse monstrabo. *Dubium negatiuum* est ambiguitas nata ex rationum defectu: *Positiuum* ex defectu rationum grauium, nimirùm, quando neutra pars habet rationem, quæ sit magni momenti. *Opinio* est assensus anceps subortus ex grauibus rationibus militantibus pro vtraq; parte. *Certitudo* est assensus vnius partis graui rationi innitentis, cuius opposita non habet fundamentum graue. Et tandem *error* est assensus vnius partis nulli aut leui innitentis rationi, cuius opposita habet rationem grauem.

399 His positis ad ipsammet Abbatialis dignitatis possessionem pacificam, esse non solùm graue, sed & grauissimũ veri iuris testimonium, vnde lege sanctũ, Nequis ante sententiam à possessione pacifica possit deponi: ta'e, vt quidquid contra illam ante sententiam agatur, violentia & iniuria iudicetur. Et subsumo: Ille, qui hæsitat, & ad controuersiã vult reducere Abbatis huiusmodi electionem, vel habet rationes graues, vel leues, vel nullas. Si graues: iam non dubitat, sed opinatur probabiliter; opinio enim probabilis illa est, quæ habet rationem grauem contra alteram grauem similiter. Si autem leues, aut nullas, errat & est Iudex Temerarius; siquidem nulla, aut leui armatus ratione, audet, contrariam partem impetere, quæ supponitur habere rationem grauissimam, ex pacifica possessione desumptam. Ergo in tali materia, nec dubio negatiuo, nec positiuo locus.

De re improbabili.

400 QVod probari nõ potest, sibi infectum esse, ait Bernardus; quia illud virtualiter loquendo non est; nam licet realiter sit, cùm tamen secretum sit, ita se habet, ac si non esset. Non est

idem rem esse veram, ac probabilem. Potest quidem vera esse & improbabilis, vt patet in his contradictorijs, *Imperator Turcarum modò sedet, aut non:* Alterum est verum; sed quibus rationibus probabitur illud ipsum, quod verum supponitur? verùm etiam est te fecisse, quod secretò fecisti; nemo tamen id probare poterit. Stat ergo, quòd sæpe accidat positionem veram esse improbabilem, falsam probabilem; sæpe enim contingit duas contradictorias assertiones esse probabiles, cùm tamen certum sit alteram falsam esse. Hac Bernardi verissima doctrina fundatur resolutio, quæ ponitur in mei Philippi *lib. 5. disp. 111. q. 2. num. 10. pag. 272.*

An obediendum sit indigno Abbati?

CAPVT XLVIII.

401 SEd dicitis. *Et quis obediat scienter indigno, etsi non manifesto? fratres nonne legistis & in vestra, & in veritatis regula,* (Matth. 32. 2.) super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi; quæ dicunt facite, A secundum opera verò eorum nolite facere?

402 A Secundum] Habet editio noua Coloniensis, *secundum autem opera eorum nolite facere?*

Nota. Abbatem esse scienter indignum & non manifestum, impossibile est; ideoq; optimè capite præcedente Bernardus sapientis verbis (*Prouerb.* 18.) vrget Carnotenses, qui has inconsistentes periodos incautè obiecerant, *Occasionem quærit*, ait, *qui vult recedere ab amico*. Quærit sanè, & fabricatur, quoniam inueniret, si non fabricaretur. Scire vellem, quid in Carnotensium Lexico sit *scire?* an non demonstratiuè cognoscere? ergo, si Abbas scienter (hoc est. euidenter) indignus est; eius iam indignitas demonstrata est, & si demonstrata etiam est manifesta.

De nocturnis illusionibus.

CAPVT XLIX.

TAm de vv mutandis vel lauandis vestibus ob nocturnam illusionem accipite breue consilium Iuxta ritum sui loci quemque facere consulo de huiusmodi, quæ diuersis modis, diuersis in Monasterijs certum est obseruari. De his, qui in pluribus Monasterijs profitentur, quod penè oblitus fueram, puto satis esse responsum superiùs, cùm de loci stabilitate disputatum est, & non est necesse vt repetam.

De

De hac materia multa apud antiquos, multa apud recentiores Crassa quidem & pinguis; sed nequit à crassis ingenijs pertractari. Si qua in Morali Theologia materia subtilibus ingenijs indiget; hæc est Somnij nocturni immunditia dilusi quo modo deberent procedere, non bene sciebant veteres, in quorum histo- rijs & ritibus multa incautè scripta, nonnisi cautè debent legi. Visum nostrorum libri distinctis capitibus modum agendi disponebant, varium quidem pro varijs Monasterijs, vt optimè aduertit Bernardus. Successerunt doctiores & inceperunt paulatim sedari conscientiæ, & mores illi periculis obnoxij obsolescere. Illusiones nocturnæ maculas morales non inferunt; & naturales non perturbant prudentem; Non debent omnes scire naturales imperfectiones, quas pateris; earum enim notitia nunquam prodesse poterit, & poterit aliquando nocere. Si in aliquo resideas Monasterio, in quo mores antiqui, tametsi moribundi, adhuc in viuis sunt, me consule aliorum obseruantiam, nec laudes, nec vituperes, imò ne quidem simpliciter referas, tu autem virtualiter lapideus sis, & memineris te in huius libri Capite 47. audiuisse Bernardum dicentem. *Quod probari non potest, mihi infectum est*, sit & tibi, tantique Authoris verba non solum subaudias, sed obaudias; & interim lege mei Commentarij disputationem 78. num. 1051. quæ *De somnijs* inscribitur.

An offensus alteri, nec tamen vindictam desiderans possit absque reconciliatione accedere ad altare.

CAPVT L.

405 P*Rætermitto & aliqua de Canonibus, quæ vos requiritis, tum quoniam talium* B *nostra non refert, qui Monachi sumus, tum, quia in libris* A *eadem ipsi facilè reperire potestis, si quærere non grauamini. Venio ad tria illa, quæ in altera vestra Epistola* VV *rursum continentur. Vbi primum interrogatis, quidnam consulam homini, qui aduersus quempiam commotus fuerit; sed non adeò, vt eum lædere velit, adeò tamen, vt libenter accipiat, si quo modo aliunde lædi contigerit, sitne videlicet tutum ita commoto accedere ad altare; An se subtrahere interim debeat, donec compescatur commotio. Nunquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira & disceptatione contingere Sacramentum in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi. Certè non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, nisi ante* C *placato fratre quem me fortè læsisse meminero; quantominùs si me ipsum non* C *paca verò priùs.*

A Clariùs mea Manuscripta quam libri impressi; illi. *In libris ipsi facilè reperire potestis*: Mea. *In libros eadem* conducit ad maiorem sententiæ claritatem.

B Ergo non spectat ad Religiosos Benedictinos Sacrorum Canonum cognitio. Ergo non multùm illis obstringuntur afferente Bernardo. Patet, quia si essent obligatorij moraliter respectu nostri non diceret noster Author Mellifluus eos nostra interesse.

C Inter *pacare* & *placare*, non reperiunt magnam differentiam Critici, sed Bernardi sententia plus est *placare*, quàm *pacare*. Videntur hæc duo ita differre, vt *pacare* sit sufficienter placare, & *placare* pacare efficaciter; alias ratio Bernardi non subsisteret.

VV Earundem vocum varius ordo.

Possitne Eucharistiam sumere Religiosus, si offensus sit alteri.

406 RESoluit seuerè S. Doctor, quia sunt clarissima S. Scripturæ testimonia, quibus talis accessus interdicitur. Inter quæ clarissimum est illud, quod legitur Matth. 5. vers. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum.* Cui Paulus adsonat, tum alibi, tum etiam 1. ad Tim. 2. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.*

407 Sed arguis. Quando Petrus est offensus Ioanni & instat communionis præceptum, vel oportet ad altare accedere, vel non accedere; si accedere, consulatur, cum peccato actuali recipere communionem consulitur: si non accedere, consulitur vt Ecclesiæ aut Ordinis præcepto non satisfaciat.

408 Et respondeo; nec debere, imò nec posse, turbato animo pacis Sacramentum adsumere; nec posse se ab altari subtrahere; si instet præceptum, vt supponitur; sed debere sequi Melliflui Doctoris consilium; nimirū, perturbatū animum pacare prius, & sese recōciliari fratri, si fuerit perturbatio illa extrinseca; & tunc demum accedere ad altare.

409 Dubium incidens. Petrus præmissa Sacramētali confessione ad altare accedit cum reliquis recepturus sacrā Eucharistiam, & in itinere meminit vnius peccati mortali ex obliuione naturali omissi. Petitur; debeatne recedere ab altari, & priùs adire confessarium recōciliationis ministrum, receptaq; absolutione redire ad communionem; ratio dubitandi est, quia Christi verba videntur hoc etiam absolutè præcipere.

410 Respondeo neminem teneri extra confessionem Sacramentalem cuiquam mortali dicere se commisisse aliquod peccatum mortale secretum. Vnde dicendum est, Petrum non posse ita ab altari recedere, vt ignominiam incurrat, & reliquos scandalizet. Sic scribunt, sic docent authores vniuersi: sed hac veritate, quæ in dubiū reduci nō potest, supposita, adhuc grauis difficultas suborritur, politica potiùs quā Theologa. Inquiris, An Petrus, si peccati illius mortalis recordetur, cū adhuc est genuflexus ante Confessarij pedes, teneatur illud offerri? an saltem non teneretur, si iā surrexisset? an si ingressus fuisset sacristiā? an si incœpisset sacras vestes induere? & tandem an deberе reuerti ac sacristiam, si egressus esset iam in Ecclesia & accederet ipsum altare? Quod si Petrus Sacerdos non sit, An teneatur surgere, si sit genuflexus in pluteo cōmunicaturus cum reliquis? si respondeā assumendo regulam illam generalem, & dicendo, debere

bere ipsum sese ab altaris communione subtrahere, si sine honoris iactura & proximorum scandalo possit; replicabis: Idipsum te velle doceri; nimirùm, quando se sine ignominia & scandalo subtrahere possit, & quando non possit?

411 Verè vulgus imprudens & malitiosum est; non est hic honos & scandalum metiendum prudentiorum iudicio, sed vulgarium; qui quærunt occasionem scandali, etiam in ipsis exercitijs virtutum. Ipsi sunt iudices, & frequentius non nisi temerarij: ergo honoris iactura & proximorum scandalum prudenter timetur, quando proximi sunt indocti, & inuidi; tales sunt ferè omnes infimę sortis homines respectu Principum & Sacerdotum. Vellent hos esse malos, vt prętexere excusationem possent; ideòque vt suis ablandiantur miserijs, ex leui fundamento grauia inferunt; & si audiant Confessarium aliquid interrogantem, statim asserunt pœnitentem peccatum graue commisisse, cuius circumstantia erat necessariò explicanda, quia venialium circumstantias confessarij non petunt. Ergo, Lector mi, coram vulgo, cauto & maligno iudice, ne procedas incautè. Sentio Sacerdotem, qui incœpit se vestire, & Laicum, qui iam peruenit ad pluteum communicaturus, cum alijs non posse se subtrahere sine honoris dispendio, & omnium circumstantium scandalo, ac propterea debere procurare dolorem intrinsecum, præcipuè si non præcesserit confessio. At in reliquis casibus, videat an sine scandalo possit ad confessarium reuerti, aut saltem illa die communionem omittere, quod si neutrum possit (videtur esse impossibilis casus, qui supponitur) cum interiori dolore ad communionem accedat.

Conciliantur duæ Pauli specie pugnantes sententiæ.

CAPVT LI.

412 Q*Vod deinde quæritis de contrarietate, quæ inesse videtur duabus illis Pauli sententijs* (Philip. 2.) Conuersatio nostra in cœlis est: *&* (2. Corinth. 5.) quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: *quomodo scilicet* A *Anima eodem tempore possit, & in corpore peregrinari à Domino, & in cœlis simul esse cum Domino: ipse soluit Apostolus cùm alibi dicit* (1. Corinth. 13.) Ex parte cognoscimus, & ex parte Prophetamus. *In* B *quantum quippe cognoscimus tanquam præsentia contemplantes, iam cum Domino sumus. In quantum adhuc tanquam de futuris Prophetamus, credentes quæ non intelligimus, sperantes, quæ non videmus,* C *à Domino peregrinamur & in corpore.* Cum autem venerit, quod perfectum est, *hoc est gloriæ plenitudo, quæ in resurrectione futura est*, tunc euacuabitur, quod ex parte est, *corporis videlicet omnis corruptio, ex qua sine dubio contingit hæc, quæ adhuc ex parte manet nostra in corpore peregrinatio. Hoc est, quod in se miserabiliter ingemiscens, plangit, & ait* (Rom. 7.) Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *non* D *conqueritur de corpore tantum, sed de corpore mortis huius; hoc est;* eius quæ adhuc durat corruptionis, *monstrans non corpus, sed corporis molestias esse causam peregrinationis.* Corpus quippe (Sap.

(Sap. 9.) quod corrumpitur aggrauat Animam. *Non corpus simpliciter, sed corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, vt corruptio corporis oneri sit, non natura: vnde, & qui intra semetipsos ingemiscunt, redemptionem exspectant corporis sui, non admissionem. Meritò proinde grauati corporis necessitate non societate cupimus dissolui & esse cum Christo* (Rom. 8.) *vt id quod manet ex parte adhuc exilium, finiatur, & quæ ex parte iam cœpit cœlestis habitatio, perficiatur. Aut certè conuersatio nostra in cœlis est, quomodo idem dicit Apostolus.* (Philip. 3.) Spe enim salui facti sumus. *Spe itaque iam in cœlestibus habitamus, cum adhuc re ipsa in terris peregrinemur, & in corpore, vel aliter. Habemus, & vnde corpori, & vnde Domino inhæreamus. illud viuificando, & sensificando, illum credendo & diligendo. Neque enim* F *præsentior spiritus noster est, vbi animat, quam vbi amat, nisi fortè magis esse putetur, vbi inuitus & ex necessitate tenetur, quàm quò spontè & alacri fertur voluntate. Denique* (Matth. 6. c.) vbi est thesaurus tuus, E ibi & cor tuum; *Item. Si Deum amans anima ex ipso viuit, vti corpus ex ipsa, quo pacto quæso præsentior esse contenditur, vbi dat, quam vnde accipit vitam? fons siquidem vitæ Charitas est, nec viuere animam dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire porrò quomodo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui Charitas est, quæ Deus est? Præsens igitur Deo est, qui Deum amat, in quantum amat. In quo enim minùs amat, absens profectò est. In eo autem Deum minùs amare conuincitur, quod carnis adhuc necessitatibus occupatur. Illa verò circa corpus occupatio, quid est nisi à Deo quædam absentatio? & absentatio, quid nisi peregrinatio? Et peregrinamur ergo à Domino, & in corpore peregrinamur, cuius nostra nimirum & intentio præpeditur grumnis, & curis Charitas fatigatur.*

A Scilicet] Editio noua Coloniensis *videlicet*.

B In quantum quippè] nescio, an eadem satis benè habeat, *In quantum quidem cognoscimus*.

C A Domino] Est semper in hac voce summa librorum varietas, alij habent *à Domino*, alij *à Deo*.

D Consequitur] In alijs *queritur*.

E Ibi &] Lego in Editionibus impressis, *Ibi est, & cor tuum, &c.*

F Præsentiorem esse animam, vbi amat, quam docet D. Bernardus, doctus ab Augustino & alijs, qui illud ipsissimum tenuerunt. Hæc positio si ad rigorem Scholasticum reducatur fortè non pateretur tot difficultates, quot aliæ anagogicæ, quæ in suggesta videntur esse pulchræ, & ad librum Scholasticum examinatæ nullę sunt. Si actus intentionales (tales sunt intellectiui & volitiui) intentionaliter identificentur obiectis, aut obiecta ipsis, præsentiores erunt obiecto, quàm anima corpori, ipsi enim illa non identificatur.

VV Ordo dictionum varius.

De

De cœlis spiritualibus assertis à Diuo Augustino.

CAPVT LII.

413 IN *fine secundæ Epistolæ interrogatis ; Quid sentiendum* A *arbitrer de eo, quod in Euangelio nobis promittitur* (Luc. 6. d.) Ecce enim merces vestra multa est in cœlis, *mirantes maximè Sanctum Augustinum dixisse super hoc, non cœlos istos visibiles & corporeos oportere intelligi, ne merces nostra in rebus mobilibus, volubilibusque videatur collocari ; ideoque spiritualia quædam firmamenta esse intelligenda, de quibus nescitis vt dicitis, quid vel suspicari debeatis. Sed si attenditis, quod legistis* (Luc. 17. c.) Regnum Dei intra vos est, & (ad Ephes. 3. d.) habitare Christum per fidem in cordibus vestris, *tanquam vtique regem in regno suo : &* (Rom. 8. d.) non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, *non quidem quæ reuelabitur nobis velut* B *aliquid exteriùs, sed in nobis quasi intus iam manens, sed nondum apparens ; & item* (Psalm. 44. 2.) Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus; & (Psalm. 65. b.) ascendet homo ad cor altum, *sed &* (Psalm. 83. b.) ascensiones in corde suo C disposuit; *rursumque.* Anima iusti sedes est sapientiæ, *cuius sine dubio illa vox est :* Cœlum mihi sedes est. *Si hæc, inquam, hisque similia non pauca in Scripturis aduertitis, profectò studebitis* D *ad inquirendum regnum Dei & iustitiam eius, intrare potiùs ad vos quam vel extra exire, vel ascendere supra.* E *Si supra sanè vel extra dixerim loci positionem : sicut cœlum à terra locum tenet exteriorem : Sol, luna & sidera superiorem. Nam eadem ipsa, quæ intra nos sunt subtiliori suæ naturæ inuisibilitate, etiam supra nos sunt sublimiori excellentiæ dignitate, & extra quoque immensitate Maiestatis. Sed altissima sunt hæc, agentia vtique & diligentiori disputatione, & doctiori disputatore, & opere prolixiori.*

Ego enim putaueram modum in his tractandis Epistolarem nequaquam excessum iri : sed sermo, vt video processit in longius, quàm speraui. Proinde vos, si placet, Librum, *si placet,* Epistolam, *nominate : nam ego, siue in paucis, siue in multis vestra debui, quod & studui, satisfacere voluntati.*

Quæstionem dilucidè resoluit noster Author, & nos eiusdem vestigijs insistentes solam capitis literam examinabimus.

A Arbitrer] Et libri impressi *Arbitror.*

B Aliquid] Corrige editionum impressarum libros, in quibus legimus *Aliquis.*

C Dispo-

c Dispoſuit) Proximius veritatem accedunt MSS. quam Exemplaria impreſſa, in quibus lego *diſponis*.

D Ad inquirendum) Alibi *ad requirendum*. Primum Manuſcripta lectionem, ſecundam libri impreſſi.

E Manuſcripta habent; *ſi ſupra, ſanè vel extra dixerim loci poſitionem*, & impreſſa Exemplaria, *Sed ſuprà, ſanè, vel extrà dixerim ſoli poſitione*.

VV Ordo dictionum alteratur, illæſo tamen ſententiarum ornatu & ſenſu.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM.

Numeri sunt Marginales.

D

R.

F I N I S.